Annus XV - Vol. XV 1 Iunii 1923 Num. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Sacrum Consistorium, p. 245; Constitutiones Apostolicae, p. 256; Litterae Apostolicae, p. 262; Epistolae, p. 275.

Acta SS. Congregationum: - *Suprema S. C. S. Officii:* Proscriptiones librorum, p. 287. - *S. C. Consistorialis:* I. Decretum de abbatia S. Petri de Muenster, p. 288. II. Provisio Ecclesiae, p. 289. - *S. C. de Religiosis:* Dubium, p. 289. - *S. C. Rituum:* I. Romana. Super dubio de *tuto* in causa ven. Roberti Bellarmini, p. 290. II. Sublacen. Super virtutibus ven. Mariani ab Arce Casali, p. 292. - *S. C. pro Ecclesia Orientali:* Rescriptum, p. 294.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota:* Damnorum seu competentiae, p. 296.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne. - S. C. de Propaganda Fide: Nomine. - S. C. dei Riti: Congregazioni varie. - Segreteria di Stato: Nomine, onorificenze. - Maggiordomato: Nomine - Necrologio, p. 303-308.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXIII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.

Administratio: Tipografia Poliglotta Vaticana. — Roma.

Pretium annuae subscriptionis.

Pro Italia, Lib. 18. — Extra Italiam, *Frs.* 24.

Unius fasciculi, Lib. 2 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XV, n. 6 - 1 Iunii 1923)

ACTA PII PP. XI

SACRUM CONSISTORIUM

I

(die 23 maii 1923)

PAG.

I. Camerariatus Sacri Collegii 245
II. Allocutio SS. D. N. Pii PP. XI. - Creatio et publicatio S. R. E. Cardinalium . . 245
III. Provisio Ecclesiarum 253

II

(die 25 maii 1923)

I. Traditio rubri galeri Emis Cardinalibus . 256
II. Optio tituli 257
III. Provisio Ecclesiarum 257
IV. Postulatio Sacri Pallii 257
V. Tituli Emis PP. Cardinalibus assignati . 257

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. *Apostolica Sedes.* - Clavarensis. Erectionis collegiatae ad honorem. - *18 februarii 1923* 258
II. *Successionensis Ecclesia.* - Successionensis. Concessionis sacri Pallii. - *1 martii 1923* 261

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Per similes Litteras.* - Sodalitas a Divino Infante Pragensi ad unitatem revocatur et Ordini Carmelitarum Discalceatorum exclusive concreditur. - *15 ian. 1923* . 262
II. *Qui contra Ecclesiam.* - Ven. Servus Dei Michaël Garicoits, sacerdos, fundator Congregationis Presbyterorum a Sacro Corde Iesu vulgo de «Bétharram», inter beatos caelites adnumeratur. - *10 maii 1923* . 263
III. *Conspicuum.* - Ven. Dei Servus Robertus S. R. E. Card. Bellarminus, e Societate Iesu, beatus renunciatur. - *13 maii 1923* 269

EPISTOLAE

I. *Quod novas.* - Ad RR. PP. DD. Philippum Rincon Gonzalez, Archiepiscopum Caracensem, et ad ceteros Episcopos Reipublicae de Venezuela: nonnulla paterno animo admonens in Ecclesiae utilitatem. - *26 aprilis 1923* 275
II. *Non summus.* - Ad R. P. D. Iosephum Leray, e Congregatione Missionariorum a Sacro Corde Iesu, episcopum tit. Remesianensem, Vicarium Apostolicum insularum Gilbertinarum: XXV episcopatus eius natalem gratulatur. - *27 aprilis 1923* . 277
III. *Affertur ad nos.* - Ad R. P. D. Paschalem Berardi, Archiepiscopum Caietanum, XXV ab inito episcopatu annum in conventu dioecesano eucharistico celebraturum. - *28 aprilis 1923* 278
IV. *Plurimum tibi.* - Ad R. P. Augustinum Delaroche, superiorem generalem Canonicorum Regularium ab Immaculata Conceptione, quinquagesimum acturum sacerdotii sui natalem. - *8 maii 1923*. . 279
V. *Non mediocri.* - Ad R. P. Henricum Quentin, O. S. B.: de oblato volumine «Mémoire sur l'établissement du texte de la Vulgate» gratias agit et laudes. - *10 maii 1923* 280
VI. *Ad te.* - Ad R. P. Paulum Mariam Reynaud, Episcopum tit. Fussalanum, Vicarium Apostolicum de Ce-kiam Orientali: cuius actuosam operam pro missionibus impensam laude honestat. - *12 maii 1923* 281
VII. *Postquam.* - Ad R. P. D. Petrum Mariam Gendreau, Episcopum tit. Chrysopolitanum, Vicarium Apostolicum de Ton-kin Occidentali: plenum quinquagesimum ab inito sacerdotio annum gratulatur. - *12 maii 1923* 282
VIII. *Pro tuo ipse officio.* - Ad Emum P. D. Antonium S. R. E. Cardinalem Vico, episcopum Portuensem et S. Rufinae, Sacrae Rituum Congregationi Praefectum: de sollemnibus Beatae Teresiae a Iesu Infante Lexovii persolvendis. - *14 maii 1923* 283
IX. *Istud, cui praees.* - Ad R. P. Carolum Lagier, antistitem urbanum, moderatorem generalem Pii Operis Scholarum Orientis, ipsius Operis utilitatem commendans. - *14 maii 1923* 284
X. *L'invitation.* - Ad R. P. D. Bonaventuram Cerretti, Archiepiscopum tit. Corynthiensem, Apostolicae Sedis Nuntium in Gallia: de saecularibus honoribus memoriae Ludovici Pasteur decretis. - *20 maii 1923* 285

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

I. *Decretum.* - Damnantur opera quaedam M. Mir et I. de Recalde. - *3 maii 1923* 287
II. *Decretum.* - Damnatur opusculum «L'apparition de la Très Sainte Vierge de La Salette». - *9 maii 1923* 287

Annus XV - Vol. XV 1 Iunii 1923 Num. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

SACRUM CONSISTORIUM

I

Die 23 maii 1923, in Palatio Apostolico Vaticano, habitum est *Consistorium secretum*, cuius acta ex ordine referuntur:

I. — CAMERARIATUS SACRI COLLEGII

Revmus Cardinalis Van Rossum perulam Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii detulit ac reddidit Ssmo Dño Nostro Pio PP. XI, qui eam tradidit Revmo Cardinali Frühwirth pro hoc anno eiusdem S. R. E. Cardinalium Collegii Camerario.

II. — ALLOCUTIO SS. D. N. PII PP. XI
CREATIO ET PUBLICATIO S. R. E. CARDINALIUM

VENERABILES FRATRES

Gratum nobis est admodum quod vos iterum coram congregatos intueri licet, et de gravissimis Ecclesiae causis alloqui, in quibus cum Dei gloria salus animarum vertitur: idque eo magis gratum accidit, quia non desunt, divinae bonitatis munere, talia quae cum periucunde Nos commemoremus, tum vos perlibenter audiatis.

Primum omnium dicimus Sanctissimae Eucharistiae honores per Italiam atque adeo toto orbe catholico tam mirifica magnificentia hodie tribui solitos, ut in pulcherrimis de Augusto

Sacramento Ecclesiae fastis iure numerare possimus. Etenim magnanima priscorum christianorum studia, subita pietatis publicae inflammatio ab haereticorum erroribus in contrarium omni tempore excitata, divina plurifariam facta prodigia, magnorum Conciliorum decreta et canones, assiduae Romanorum Pontificum curae eorumque solemnia et crebra praescripta de moribus institutisque eucharisticis, ut de festo Corporis Christi, de supplicatione in quadraginta horas habenda, de Sacramenti adoratione perpetua, de pueris quamprimum et quam religiosissime ad sacram Synaxim comparandis, de Eucharistia frequenter, ut oportet, sumenda, de religiosis familiis Eucharistiae colendae unice addictis; haec omnia profecto declarant, et Ecclesiam sanctam nullum aliud unquam habuisse divini cultus vel caput vel centrum vel rationem maximam, omnisque supernaturalis vitae vel fontem vel pabulum, nisi sacratissimam Eucharistiam, et ipsius Eucharistiae quotidianum perennemque cultum per intervalla maximis quibusdam ac splendidissimis religionis popularis significationibus illustrari consuevisse. Quae vero id genus fiunt in conventibus eucharisticis, per sacras conciones sermonesque, per Sacramentorum frequentiam perque insignes non raro reditus ad frugem, per diurnas nocturnasque supplicationes, per celeberrimas triumphali ritu ductas pompas, in quibus ipsis conventuum eucharisticorum summa consistit, ea sane, ut maximi momenti sunt, ita decoris plena et maiestatis.

De quo Nos quidem, Venerabiles Fratres, summas Deo grates ex animo vobiscum agimus; simulque meritas tribuimus laudes Episcoporum ordini et Clero, quorum instantiae laboribusque apostolicis rem, tam Deo gloriosam tamque animis salutarem, referimus acceptam; nec minus laudamus, ut aequum est, catholicos eos homines, quibus adiutoribus, impigris quidem et volentibus, secundum Deum, sacrorum et Antistites et administri successum operae suae fructumque debent.

Alterum quod Nos valde recreat et consolatur, hoc est singulari cum fidei et pietatis obsequio universitatem catholici nominis Nostras primas Litteras Encyclicas accepisse: cuius rei

adhuc ad Nos undique affluxere necdum cessant praeclara testimonia.

Vehementer autem Nos illa et studiosa voluntas et officii conscientia delectat qua, ducibus Episcopis, clerici simul et laici homines, hortationibus incitamentisque Nostris obsequuti, in iis institutis inceptis operibusque sese exercent, quae omnia *actionis catholicae* appellatio complectitur. Quae quidem actio cum suapte natura pertineat ad animos sincero Iesu Christi spiritu, nempe sub sacrorum auctoritate pastorum, imbuendos, idque congruenter officiis temporibusque tum singulorum hominum tum humanae societatis pro rerum publicarum civiliumque ordinum varietate, nemo non videt quantopere intersit eam vigere non modo ad religionis vitam et ad bonum Ecclesiae, verum etiam ad civilem cultum atque ad ipsius consortionis humanae utilitatem. Idcirco in Litteris Encyclicis, quas memoravimus, aperte significanterque diximus, eandem catholicam actionem hinc ad pastorale ministerium, inde ad christianam vitam sine dubio pertinere, ita ut, quicquid ad eam augendam fiat aut ad minuendam, id ipsum ad tuenda aut violanda Ecclesiae animarumque iura fieri videatur.

Quod igitur eiusmodi actio latius in dies diffunditur solidiusque confirmatur; quod per ipsam divinae Eucharistiae caritas penitus afflat animos eosque ad agendum alacriores facit; quod sacerdotes et laici atque ex utroque sexu adolescentes in hoc honestissimo certamine et tamquam apostolatu nullis curis laboribusque parcunt, haec Nos quidem sanctissimo complent gaudio, itemque ad spem erigunt aevi multo melioris.

Haud absimilem magnarum exspectationem utilitatum, quae quidem ad omnes orbis terrarum partes pertinent in quibus Evangelium praedicatur, illud Nobis commovet solemne propositum, ut, per proximum Annum sanctum, quaecumque catholicarum Missionum naturam ac vim, loca, res atque incrementa inlustrant, ea omnia in Nostris hisce Aedibus Vaticanis publice ad spectandum exhibeantur: quod quidem propositum Nostrum, ut probe scitis, Venerabiles Fratres, haud ita pridem nuntiavi-

mus, cum id ipsum dilecto filio Nostro Cardinali praefecto sacri Consilii Fidei propagandae exsequendum commisimus. Placet autem, in hoc amplissimo consessu, vobiscum communicare, rem iam nunc videri feliciter eventuram, cum idem Cardinalis delectique ab eo administri summa contentione in eadem apparandâ elaborent et ad litteras, quae invitationis causâ sunt in omnes partes dimissae, magna cum approbatione magnisque cum pollicitationibus sit rescriptum.

Ex quo certum habemus fore ut maximum sanctissimumque omnium catholicorum operum, quale est Opus Missionum, plurimum accipiat adiumenti. Christifideles enim, qui Anno Sancto ex omni ora ac parte terrarum ad sepulcra Apostolorum confluxerint ut plenissimam admissorum veniam uberrimamque gratiarum copiam assequantur, magnitudinem amplitudinemque divini illius Operis uno veluti oculorum obtutu conspecturi sunt, iidemque aestimaturi, quibus illud opibus praesidiisque indigeat, quae omne genus impedimenta sint sacris Christi legatis superanda, quam multa quamque magna usque adhuc ab iis gesta sint, quantoque et plura et maiora sint gerenda. Hinc facile coniicient, quam gravi ipsimet officio urgeantur opitulandi, pro sua quisque facultate, fortissimis magnanimisque viris, qui, patriâ, propinquis amicisque relictis, in dissitas barbariae regiones abeunt, ut sudores vitamque ipsam in salutem animarum profundant, quas Iesus Christus suo ipsius sanguine redemerit. Ad haec catholicae ipsae Missiones ex hoc veluti earum conventu illum quoque haud mediocrem percepturae sunt fructum, ut earundem moderatores et consilia conferant et rerum experimenta peropportune inter se communicent. Quin etiam id confidimus praecipue profuturum fingendis atque ad artem disciplinamque horum temporum conformandis missionalibus, ita, ut intelligentiores cotidie atque utiliores evadant gratiae et sanctitatis administri; cuius quidem gratiae et sanctitatis munera in traducendis ad Christum infidelibus principem obtinent obtinebuntque semper locum, cum res agatur supernaturalis prorsus ac divina.

Iucundum sane Nobis foret, Venerabiles Fratres, una vobiscum in hac rerum laetitia amplius insistere, nisi mentem animumque Nostrum alia revocarent, quibus, non iucunditas sane aut solacium, verum sollicitudines anxiaeque curae comitantur.

Etenim in proximis Europae Asiaeque plagis orientalibus, ubi christiani nominis cum sanctissima monumenta exstant tum maxima negotia vertuntur, horrida usque tempestas insidet, iisdem populis regionibusque incredibiles molestias calamitatesque continuans, summo cum detrimento non religionis tantum sed ipsius etiam cultus civilis et humanitatis. Supervacaneum est quidem hic profiteri, Nos, quemadmodum semper pro viribus et tutati sumus et tuebimur catholicorum in Loca Sancta iura – quae cum apertissima multoque ceteris potiora sunt, tum nulli unquam obnoxia praescriptioni – ita tot tantisque earum gentium necessitatibus opem pro facultate Nostra omni studio afferre perseveraturos. Atque utinam omnibus patria extorribus puerisque, altero vel utroque parente orbatis, tutum perfugium et salutis praesidium praebendi copia suppeteret, quod quidem multis iam – quamvis paucis profecto in tanta multitudine – praebuimus, adiuvante Nos piorum liberalitate, quos libet in hac maiestate loci cum grati animi significatione commemorare.

Accedit ut ne ipsa quidem multis gravibusque malis vacet Europa, cum et in continenti et magnis in insulis nationes olim florentissimae eaedemque civilis cultus magistrae, per interneciva bella maximis illatis acceptisque detrimentis conterantur, non sine praesenti vel graviorum damnorum periculo, quae in universam Europam atque adeo in omne hominum genus incumbant. Quod quanto Nobis sit dolori, verbis exprimere non possumus, cum erga omnes, qui utrinque dimicant, paternum geramus animum et experiamur. Nam sive politicae libertatis vel opinione vel studio inter se populi dissideant, sive pactorum interpretatione aut iurium officiorumque ex pactis manantium aestimatione discrepent; sive in domo paterna sint semper versati, sive recenti aut veteri memoria eam deseruerint; universi omnes filii sunt communis Patris, qui, dum domestico convivio cum

praesentibus accumbit, exspectat cum desiderio reduces eos qui absunt; omnes enimvero sunt ex eodem ovili oves et agni, quo sine ulla temporis intermissione idem divinus Pastor amanter appellat.

Nobis autem magna cum sollicitudine in dimicantium turbam intuentibus, filii undique occurrunt, optimi quidem atque huic Apostolicae Sedi, alii aliis de causis, carissimi: vel ex *Insula Sanctorum*, vel ex *Angelorum Terra*, vel ex natione *Ecclesiae primo genita*, vel ex illa Germania catholica, quae lugendum ab Ecclesia Romana discidium, abhinc quattuor saeculis factum, studio tam acri, tamque solida et apta vitae christianae disciplina, in medio ipso furore belli, compensavit, atque etiam in praesenti discrimine compensat.

Neque Nos latet quantam inde iacturam accipiant omnia quae ad christianum nomen vel confirmandum vel provehendum sapienter filii illi Nostri instituerant, eo Nobis cariores quo gravioribus calamitatibus premuntur. Quo autem maerore Nos tantarum acerbitatum molem continuationemque prosequamur vix opus est dicere.

Fecimus omnino – testis est Deus – ad hanc miseriarum immensitatem vel tollendam vel certe levandam, quantum pro Nostra et facultate et auctoritate potuimus; idque facere non desistemus, quoad aliqua affulgeat spes, pacem saltem filiis inter se digladiantibus praedicando, pacem inculcando, pacem inquimus illam, quam etiam nunc ex intimis visceribus invocamus. Illud tamen in Nobis est, eritque perpetuo, ut *Deum pacis* imploremus, qui pacem restituat firmetque suam in omnium animis, iustitiae caritatisque eis sensus iniiciens, eosque ad amicitiae consensiones inclinans; id quod Nos omni animi studio et in praesens precamur et posthac precaturi sumus.

Iam tristiora multo ac luctuosiora a Russiacis regionibus exstiterunt. Haec tamen, utpote omnibus cognita et ubique per ephemerides quam latissime pervulgata, hic persequi singillatim nil attinet: unum silentio praeterire non possumus. Dum enim illuc missi a Summo rei catholicae Moderatore praeclarissimi viri, iique

propter patientiam sollertiamque suam omnium admiratione et laudibus digni, afflictos et prope fame enectos e magna illa natione populos benefactis cumulant, ex ea nimirum largitate quam Nobis subsidia suppeditaverant et impense a Nobis invocata et a catholicis totius orbis abunde constanterque collata: ecce insignes catholicae religionis Antistites et administri in vincula coniici, quaestionibus urgeri, ad diuturnam arctamque custodiam damnari, eorumque unus crudelissime necari. Eos hic honoris causa nominamus: Ioannem Baptistam Cieplak, Archiepiscopum Achridanensem, atque ipsius socios sacerdotes, Leonidam Fedorow, Constantinum Budkiewicz, Stanislaum Eismont, Eduardum Junewicz, Lucianum Hwiecko, Paulum Hodniewicz, Antonium Wasilensky, Petrum Janukiewicz, Teophilum Matulanis, Joannem Trojgo, Dominicum Iwanow, Franciscum Rutkowsky, Augustinum Pronsketis, Antonium Malecki, unaque pium adolescentem, Iacobum Sciarnas.

Haec vero admissa sunt omnia, Nobis primum insciis, deinde nec consultis, nec auditis, cum Nos id unum postularemus ut, qui subditi sacrae Nostrae auctoritati essent, Nostro iidem permitterentur iudicio, additis litteris quae ipsorum culpam, si qua esset, demonstrarent; itemque sancte sponderemus eorum Nos causam pro iustitiae merito iudicaturos. Quod vero est multo deterius – si vera sunt ea, quae perhibentur – ministri religionis eius, quae tam egregie de populo russiaco mereretur, vinculis et capite damnati sunt multis manifestisque invidiae contemptionisque significationibus erga sanctam ipsam divinamque religionem quam illi quidem tuendam susceperant, cuiusque et praecepta servare et iura propugnare se quovis pretio profiterentur.

Quidquid autem habeant momenti ac ponderis aliae criminationes Archiepiscopo Cieplak impositae eiusque *passionis sociis*, praesertim sacerdoti Budkiewicz, qui glande mortifera percussus interiit, dolores quidem, quos fortissimorum filiorum causa suscepimus ac toleramus, mirifice consolatur tum gloria quae inde in religionem nostram Deumque ipsum redundat, tum spes illa certissima qua sustentamur fore ut condemnationes ipsae, iudicia,

poenae ac sanguis in primis plurimorum fiant optimorumque catholicorum semina, quemadmodum sub ipsa Ecclesiae primordia *semen christianorum* exstiterunt.

Quae quidem spes Nobis maior est de iis qui Nostrorum et fratrum et filiorum damnationes poenasque participant, quos ipsos, etsi a Nostra communione remotos, tamen in Iesu Christi caritate atque in optatissima Ovilis unitate diligimus; quosque propterea a prioribus illis minime volumus esse seiunctos, omnibus aeque invocantes illa humanitatis officia, quae omnium excultarum gentium in votis sunt.

Atque haec quidem omnia, qualiacumque acciderunt, nihil opus est adiungere nunquam fore ut retardent opera illa omnia misericordiae ac beneficentiae plena, dudum inchoata, necdum per tot solidos menses intermissa, in solatium tot ac tantarum miseriarum. Nam perseverabimus equidem usquedum et necessitas illinc, et hinc facultas adfuerit, illius apostolicae vocis memores: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Quod etiam erit argumento quantopere Nos quidem pacem cum omnibus servatam velimus, salvis videlicet iuribus, quae ipsis tenuioribus hominibus debentur, parvulis, infirmis, afflictis, maximeque iis qui propter iustitiam ac veritatem patiuntur; salvis item ante omnia, in bonum quoque ipsius civilis hominum societatis, iuribus Ecclesiae catholicae, quae una est apud homines, Dei mandatu ac iussu, iustitiae veritatisque vindex ac magistra, utpote quae incorruptibilis doctrinae ac sanguinis Dei Redemptoris sit in aeternum conservatrix.

Horum autem iurium incolumitas semper erit Nobis sacrosancta lex, quamvis exoptemus pacem et habere et conciliare cum omnibus; quamvis etiam parati simus, quoad fas sit, ea concedere omnia, quibus et meliores Ecclesia ubique vivendi rationes assequatur, et simul animorum concordia reconcilietur.

Sed iam, ut ad laetitiae solatiique causas redeamus, in haec Nostra pacis vota et consilia singulari quadam fiducia patrocinium imploramus eorum venerabilium Dei servorum, quibus divino munere titulum et honores beatorum caelitum nuper

decrevimus: Beatae Theresiae a Iesu Infante, Beati Michaëlis Garicoïts, ac Beati Roberti Bellarmini; de quibus illud usurpare placet Ambrosii nostri: *Tales ambio defensores.*

Restat ut amplissimum Collegium vestrum, Venerabiles Fratres, suppleamus. Placet enim romana purpura duos praestantes honestare viros, qui quidem, variis muneribus nitide sancteque gestis, se Nobis et Ecclesiae valde probaverunt.

Hi sunt:

Ioannes Baptista Nasalli Rocca, Archiepiscopus Bononiensis.
Aloisius Sincero, Sacrae Congregationis Consistorialis Adsessor.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Cardinales

EX ORDINE PRESBYTERORUM

Ioannem Baptistam Nasalli Rocca.

EX ORDINE DIACONORUM

Aloisium Sincero.

Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

III. – PROVISIO ECCLESIARUM

Tum Beatissimus Pater his quae sequuntur Ecclesiis proprios Pastores assignavit nimirum:

Cathedrali Ecclesiae Villaeregalensi praefecit, cum iure Archiepiscopi-Episcopi nomen gerendi, R. P. D. Ioannem Evangelistam de Lima Vidal, Archiepiscopum Mytilenensem.

Cathedrali Ecclesiae Cortonensi, R. P. D. Richardum Carlesi, hactenus Episcopum Soanensem–Pitilianensem.

Cathedrali Ecclesiae Patavinae, R. D. Eliam Dalla Costa, archipresbyterum loci Schio, dioecesis Vicentinae.

Titulari episcopali Ecclesiae Spigacensi, R. D. Alphonsum Osia Gagnon, quem constituit Auxiliarem R. P. D. Pauli Stanislai La Rocque, Episcopi Sherbrookensis.

Titulari episcopali Ecclesiae Dolichensi, R. P. Ioannem Michaëlem Buckx, e Congregatione Presbyterorum Ssmi Cordis Iesu, Vicarium Apostolicum de Finlandia.

Insuper Ssmus Dominus Noster alios per Apostolicas iam renunciatos sacrorum Antistites publicavit, scilicet:

ARCHIEPISCOPOS:

Maceiensem, Sanctinum Mariam de Silva Continho, iam Archiepiscopum Belemensem.

Nicaenum, Ioannem Festa, iam Archiepiscopum titularem Tharonensem.

Tegucigalpensem, Augustinum Hombach.

Traianopolitanum, Ismaëlem Perdomo, iam Episcopum Ibaguensem.

Messanensem et Archimandritam Ss.mi Salvatoris, Angelum Paino, iam Archiepiscopum titularem Antinoënsem.

Antinoënsem, Iulianum Raymundum Riveiro y Jacintho, iam Archiepiscopum Guatimalensem.

Chonarum, Eduardum Duarte Silva, iam Episcopum de Uberaba.

Tamiathensem, Aloysium Pellizzo, iam Episcopum Patavinum.

Neapolitanum, Michaëlem Zezza di Zapponeta, iam Archiepiscopum titularem Ancyranum.

Tharonensem, Georgium Gauthier, iam Episcopum titularem Philippopolitanum, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Pauli Bruchési, Archiepiscopi Marianopolitani.

EPISCOPOS:

De Zacatecas, Ignatium Placencia, iam Episcopum Tehuantepecensem.

Pergamensem, Eduardum O'Rourke, iam Episcopum titularem Caneensem.

Cidyessensem, Antonium Cech, Auxiliarem R. P. D. Iosephi Gross, Episcopi Litomericensis.

Doaerensem, Franciscum Campos y Angeles, iam Episcopum de Chilapa.

Lycopolitanum, Ioannem Floersh, Coadiutorem cum iure futurae successionis, R. P. D. Dionysii O'Donaghue, Episcopi Ludovicopolitani.

Puniensem, Fidelem Cosio y Medyna.

Thyatirensem, Casimirum Michalkiewicz, Auxiliarem R. P. D. Georgii Matulewicz, Episcopi Vilnensis.

Massiliensem, Danielem Champavier, iam Episcopum titularem Sorensem.

Geraldtonensem, Richardum Ryan.

Mopsuestenum, Gustavum Carolum Mutel, iam Episcopum Milensem.

Diocletianopolitanum, Gerardum Vesters, Vicarium Apostolicum de Rabaul.

Claudiopolitanum, Gabrielem a Stanz, Vicarium Apostolicum Daressalamensem.

Syracusensem, Danielem Curley.

Calbayoganum, Sophonium Hacbang y Gaborny, iam Episcopum titularem Anemuriensem.

Thapsensem, Andream Iacobum Brennan, Auxiliarem R. P. D. Michaëlis Hoban, Episcopi Scrantonensis.

Themisoniensem, Antonium Fourquet, Vicarium Apostolicum de Canton.

Vallitanum, Ferdinandum Brossart, iam Episcopum Covintonensem.

Oleastrensem, Antonium Videmari.

Bovensem, Andream Taccone.

Sorensem, Iosephum Deitmer, Auxiliarem R. P. D. Adolphi S. R. E. Cardinalis Bertram, Episcopi Vratislaviensis.

De Socorro, Leonidam Medina, iam Episcopum tit. Chamachensem.

Campivallensem, Raymundum M. Rouleau.

Mariamensem, Martinum Rücker.

De Vladivostok, Carolum Sliwowski.

Tehuantepecensem, Ianuarium Mendez y del Rio.

Verinopolitanum, Ioannem Mariam Cesson, Vicarium Apostolicum Togonensem.

Thespiensem, Ioannem Boros.

Covintonensem, Franciscum Howard.

Bubastitensem, Augustum Hermann, Vicarium Apostolicum de Volta Inferiore.

Raphanearum, Paulum Pichot, Vicarium Apostolicum de Majunga.

Bovinensem, Cornelium Sebastianum Cuccarollo.

Sareptanum, Eduardum Doorley, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Bernardi Coyne, Episcopi Elphinensis.

De Uberaba, Iosephum Tupinambà de Frota, iam Episcopum Sobralensem.

Rapotensem, Guillelmum Mac Neely.

Hieropolitanum, Michaëlem Baldetti, iam Episcopum Cortonensem.

Denique Beatissimus Pater ratam se habere dixit provisionem Ecclesiae Tripolitanae Melchitici ritus de R. P. D. Iosepho Kallâs.

II

I. – TRADITIO RUBRI GALERI EMIS CARDINALIBUS

Die 25 maii 1923, in Palatio Apostolico Vaticano, habitum est *Consistorium publicum*, in quo Ssmus Dñus Noster Purpuratorum Patrum pontificalem galerum solemniter imposuit duobus e Cardinalibus iam creatis et publicatis in Consistorio diei 11 decembris 1922, videlicet:

ACHILLI LOCATELLI.

HENRICO REIG Y CASANOVA.

itemque duobus Cardinalibus iam creatis et publicatis in Consistorio diei 23 p. e., nimirum

IOANNI BAPTISTAE NASALLI ROCCA.

ALOISIO SINCERO.

Interea per advocatum Sacri Consistorii Vincentium Sacconi pro secunda vice perorabatur Causa beatificationis et canonizationis ven. Ludovici a Casauria, Fundatoris Congregationis Fratrum a Caritate vulgo *Bigi*.

II. – OPTIO TITULI

Eadem die in *Consistorio secreto*, postquam Beatissimus Pater, consueto ritu, quatuor praelaudatis Patribus Cardinalibus os clausisset, Rmus Cardinalis Giorgi, Poenitentiarius Maior, optavit ordinem presbyteralem.

III. – PROVISIO ECCLESIARUM

Tum Beatissimus Pater, alias etiam Ecclesias de proprio singulas pastore providit, nimirum:

Cathedrali Ecclesiae Guastallensi, praefecit R. P. D. Iordanum Corsini, hactenus Episcopum Hebronensem.

Cathedrali Ecclesiae Veronensi, R. D. Hieronymum Cardinale, canonicum theologum metropolitanae ecclesiae Ianuensis.

Titulari episcopali Ecclesiae Dionysiopolitanae, R. D. Iacobum Lopez de Reyo y Labarta, Vicarium Apostolicum Insularum Mariannensium, Carolinensium et Marshallensium.

Deinde evehere dignatus est, pro hac vice, diaconiam S. Mariae in Cosmedin in titulum presbyteralem, quem contulit Rmo Cardinali Giorgi.

IV. – POSTULATIO SACRI PALLII

Posthaec Ssmus Dominus Noster sacrum Pallium expostulatum concessit Ecclesiis metropolitanis *Neapolitanae*, *Macejensi*, *Tegucigalpensi*, *Messanensi*, et, ex privilegio, Ecclesiis cathedralibus *Massiliensi* ac *Suessionensi*.

V. – TITULI EMIS PP. CARDINALIBUS ASSIGNATI

Denique os aperuit Beatissimus Pater quatuor novis Cardinalibus quorum singulis assignavit:

Revmo LOCATELLI titulum Sancti Bernardi ad Thermas.

Revmo REIG Y CASANOVA titulum Sancti Petri in Monte Aureo.

Revmo NASALLI ROCCA titulum Sanctae Mariae in Transpontina.

Revmo SINCERO diaconiam Sancti Georgii in Velabro.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

CLAVARENSIS

ERECTIONIS COLLEGIATAE AD HONOREM

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolica Sedes, de Ecclesiarum omnium decore sollicita, ad eas praesertim, quae animarum curam adnexam habent, suam curam extendere, prout in Domino conspexerit salubriter expedire, semper consuevit, ad divini nominis exaltationem ac fidelium devotionis excitationem.

Quapropter quum a dilecto filio Lazaro Podestà, Praeposito-parocho templi S. Mariae a Ponte in loco vulgo *Lavagna*, et Abbate S. Mariae a Misericordia loci vulgo *Carasco* in Clavarensi dioecesi, porrecta Nobis fuerit petitio, a venerabili fratre Vincentio Episcopo Ostiensi et Praenestino S. R. E. Cardinali Vannutelli valde commendata, cum consensu venerabilis fratris hodierni Episcopi Clavarensis, ut hoc templum, tum veneratione fidelium, tum ornatu ac splendore perspicuum et sanctuarium vulgo appellatum, ad Collegiatae honorem eveheretur, Nos, voluntati ve. me. Benedicti Papae XV, Praedecessoris Nostri, libenter adhaerentes, annuendum precibus statuimus ac decernimus sub hisce tamen legibus et conditionibus.

Capitulum quatuor Canonicis constabit, quorum primus erit ipse qui nunc est ecclesiae rector, seu parochus, qui canonici Archipresbyteri titulum nomenque habebit et erit unica Dignitas et caput Capituli. Firma nominatione eius, qui modo parochus ecclesiae est, dilectus filius Lazarus Podestà, quique hoc ipso Archipresbyteri officium ac dignitatem assumet, in posterum electio tum Archipresbyteri, tum aliorum Canonicorum fiat ad tramitem iuris communis.

Archipresbytero, praeter munia parochialia curae animarum, onus incumbit curandi, qua rector ecclesiae, ea omnia, quae ad eius statum tum religiosum, tum materialem spectant, et, qua Capituli caput, vigilandi et providendi, ut omnes officia sibi debita adimpleant.

Singulis vero Canonicis, praeter chorale officium (de quo infra), vi

fundationis et praesentis Constitutionis onus inerit adiuvandi parochum in servitio parochiae et animarum curae exercitio, praesertim in ministerio confessionis et praedicationis ac doctrinae christianae pueris adultisque explanatione. Ideoque Canonici ad honorem renuntiabuntur illi tres sacerdotes benemeriti, maturae quidem aetatis, sed non nimis provectae, qui penes sanctuarium S. Mariae a Ponte vitam exoptant ducere tranquilliorem, eaque indigent: nam onus, de qua supra, omnes Canonici semper habebunt et aestimabunt qua suum principale officium et tamquam praecipuam et permanentem obligationem.

Archipresbyteri et Canonicorum insignia erunt iuxta ius commune, quae gestare poterunt exclusive in sacris functionibus quibus intersit totum Capitulum.

Archipresbyter, prout de iure, ceteris praecedet: Canonici autem iuxta prioritatem possessionis sequentur; et eodem modo ac ceteri canonici ad honorem nullam stabilitatem accipient ex canonicatus honore, quo aucti sunt: ideoque statim ac ab officio quod obtinent decedunt, hoc ipso etiam a canonici honore cadunt.

Chorale servitium vero hac ratione ordinatur. In die Natali Domini Nostri Iesu Christi, Resurrectionis, Pentecostes, Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae et in festo titulari sanctuarii, necnon feria quinta, sexta et sabbato hebdomadae maioris, integrum chorale officium, demptis tamen primis Vesperis, cum Missa conventuali cantata, celebrabitur: ceteris vero festis de praecepto, aliisque paucis in anno solemnioribus, ab Episcopo, audito Capitulo, designandis, minores tantum Horae, scilicet Prima, Tertia, Sexta et Nona, recitabuntur, cum Missa conventuali lecta, aut cum cantu, iuxta statuta a Capitulo conficienda et ab Episcopo approbanda. Missam conventualem autem per turnum Canonici celebrabunt, reservata Archipresbytero celebratione diebus festis solemnioribus. In praesenti et usquedum specialis fundus ad hoc non fuerit constitutus, Missa pro benefactoribus non habebitur, et unica Missa parochiali pro populo huic oneri satisfiet.

Insuper Capitulum interesse debebit processionibus die festo Corporis Christi eiusque octava et diebus Litaniarum tum maiorum, tum minorum.

Quo autem diligentiores in muneribus suis adimplendis praemio aliquo temporali afficiantur et segniores redarguantur, Episcopus, audito Capitulo, mulctam aliquam praefiniat contra negligentes in chorali aliove ecclesiae et parochiae servitio, iuxta regulam in similibus consuetam et pro rata redituum, quos quisque percipit. Quoniam vero, ut supra dictum est, praecipua et permanens obligatio Canonicorum est adiuvandi parochum in servitio parochiae et in animarum curae exercitio, idcirco quo-

ties aliquis hac de causa, sicut ex alia legitima ratione, a chorali servitio impeditus fuerit, qua praesens in choro habebitur.

Dos Collegiatae Ecclesiae, ex qua Canonicorum praebenda, congruae pro divino cultu et fabricae expensae desumendae sunt, ipsi erunt reditus, qui nunc habentur et oblationes fidelium; quorum administratio et opportuna divisio in singulos singulasque causas peragenda erit sub vigilantia ac dependentia Episcopi.

Verum quo diligentius unusquisque officiis sibi debitis fungatur, ex reditibus, qui quomodocumque Canonicis obvenient et inter eos dividendi sunt, tertia pars separetur et ratione servitii praestiti, sive pro catechesi tradenda et ceteris operibus parochialibus, sive pro chorali officio adimplendo, distribuatur. Episcopi autem erit, audito Capitulo, definire quae pars pro chorali servitio, quae pro catechesi sit statuenda. Legitime impediti, ut supra, iuxta iuris normas, praesentes habebuntur; dum pars quae a negligentibus amittitur diligentibus accrescet.

Quae autem hisce Litteris, Apostolica auctoritate, a Nobis decreta sunt, nulli hominum, ullo unquam tempore, infringere, aut iis repugnare, vel quomodolibet contraire liceat. Si quis, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat obnoxium se evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Amadaeum Casabona, hodiernum Episcopum Clavarensem, cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, itemque pronuntiandi super quavis oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione, intra sex menses a subsignata die computandos, transmittendi ad Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis.

Decernimus denique has praesentes Litteras valituras, contrariis quibuslibet, etiam peculiari et expressa mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo tertio, die decima octava mensis februarii, Pontificatus Nostri anno secundo.

✠ C. Card. DE LAI, Episc. Sabinen.,
S. Congreg. Consistorialis Secretarius.

O. Card. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

Iulius Campori, *Protonotarius Apostolicus.*
Raphaël Virili, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXVII, n. 28.

II

SUESSIONENSIS

CONCESSIONIS SACRI PALLII

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Suessionensis Ecclesia inter alias Galliarum praeclarum tenere locum pluribus titulis demonstratur. Primo christiano aevo, uti fertur, fundata a Sanctis Sixto et Sinicio, eo a Sancto Petro Apostolo missis, Episcopos habuit tum sanctitatis splendore, tum etiam doctrinae laude insignes; quorum duodecim ad altarium honores evecti fuerunt.

Insuper Augustae Suessionum Concilia septem supra decem celebrata sunt et Cathedrale templum exstat Deiparae in caelum Assumptae dicatum tum magnitudine molis, tum pretiosis artis operibus, tum insignibus reliquiis conspicuum.

Ad decus vero huius templi olim sex supra quinquaginta Canonicorum Collegium aderat, nunc autem, etsi, ex temporum iniuria, horum numerus sit imminutus, chorale tamen servitium integre impletur. Nec demum silentio praetereundum est insigne privilegium Decani ac Primi Suffraganei, quo iampridem Suessionenses Antistites decorabantur. Verum cum huiusmodi privilegium ex iuris dispositionibus amplius sustineri nequeat, ex consulto venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum disposuimus, ut Episcopus Suessionensis illud dimitteret atque in eius memoriam et decus Suessionensis sedis, hodierno Episcopo eiusque successoribus sacri Pallii privilegium tribueretur.

Quapropter, de Apostolicae potestatis plenitudine, concedimus, ut Episcopus Suessionensis eiusque legitimi successores, ex singulari privilegio, Pallii usu, in sacro Consistorio de more postulandi, salvo in omnibus iure metropolitico, aliisque servatis servandis, frui possint ac valeant.

Ex Apostolico igitur privilegio licebit posthac hodierno Episcopo Suessionensi eiusque legitimis successoribus, post suetam postulationem, sacro Pallio uti in solemnioribus diebus festis a sacris canonibus praescriptis, ast in dioecesi Suessionensi solummodo et non alibi, etiamsi Ordinarii

consensus accedat, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo tertio, die prima mensis martii, Pontificatus Nostri anno secundo.

✠ C. CARD. DE LAI, Episc. Sabinen.,
S. Congreg. Consistorialis Secretarius.

O. CARD. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

Raphaël Virili, *Protonotarius Apostolicus.*
Ludovicus Schüller, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXVII, n. 32.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

SODALITAS A DIVINO INFANTE PRAGENSI AD UNITATEM REVOCATUR ET ORDINI CARMELITARUM DISCALCEATORUM EXCLUSIVE CONCREDITUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Per similes Litteras Apostolicas, die XXX mensis martii, anno MCMXIII, Piscatoris anulo obsignatas, rec. mem. Praedecessor Noster Pius Pp. X, ad fidelium pietatem fovendam erga Divinum Infantem, cuius statua, miraculis inclyta, iam inde a saeculo decimo septimo antiqua religione colitur Pragae, in coenobio ad Sanctae Mariae a Victoria Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, perpetuum in modum, tribuit Praeposito generali Ordinis illius facultatem erigendi, tam in ecclesiis Ordinis, quam in aliis ubique terrarum sitis sacris aedibus, de respectivi Ordinarii licentia, servatisque servandis, Sodalitatem a Divino Infante Pragensi appellatam. Verum, cum, antequam ipsi Praeposito generali huiusmodi facultas facta foret, nonnullis in ecclesiis iam canonice institutae exstarent huiusmodi sodalitates, eaeque supersint in praesens, diversis tamen sub legibus et non paribus ditatae privilegiis et gratiis, dilectus filius hodiernus Procurator generalis Carmelitarum Excalceatorum Ordinis supplici prece Nos flagitat, ut, ad omnia dubia ac discrimina dirimenda, tam frugiferae devotioni unum constituamus centrum, omnesque societates, in toto orbe terrarum sub titulo Divini Infantis Pragensis exsistentes, iisdem legibus et privilegiis muniamus. Quare, cum omnino consentaneum sit, ut ipsa Sodalitas ab Infante Iesu

concredatur exclusive Ordini Carmelitarum Excalceatorum, illi nimirum Ordini, cuius alumni iugiter fuerunt vigiles atque actuosi devotionis illius propagatores, attenta relatione dilecti filii Nostri S. R. E. Diaconi Cardinalis Caietani Bisleti, e Sacra Congregatione pro Tridentini Concilii decretis interpretandis, apostolica Nostra auctoritate, praesentium tenore, nunc et in posterum exsistenti Praeposito generali Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, vel illius Vicario, facultatem exclusive tribuimus erigendi ubique terrarum, servatis sacrorum canonum praescriptionibus, Sodalitium, cui titulus a Divino Infante Pragensi. Praecipimus pariter, eadem Nostra auctoritate, per praesentes, ut omnibus societatibus eiusdem tituli, ubique terrarum, unum sit statutum, illud nempe a Sacra Concilii Congregatione probatum per decretum diei XXIV mensis iulii, anno MCMXIII, atque ut omnes, tam actu erectae, quam in posterum erigendae, societates similibus gaudeant indulgentiis ac privilegiis; praecipimus pariter, ut indulgentiae et gratiae quaecumque, ad hanc usque diem dictis sodalitatibus quomodolibet concessae, perinde revocatae censeantur, quemadmodum eas per praesentes apostolica Nostra auctoritate revocamus.

Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis ianuarii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri primo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

VEN. SERVUS DEI MICHAËL GARICOÏTS, SACERDOS, FUNDATOR CONGREGATIONIS PRESBYTERORUM A SACRO CORDE IESU VULGO DE «BÉTHARRAM», INTER BEATOS CAELITES ADNUMERATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Qui contra Ecclesiam suam inferorum portas numquam praevalituras edixit, Christus Dominus, quoties ad eam turbandam perditi homines exorti sunt, strenuos continuo viros excitavit,

qui sanctitate ac doctrina, duplici quasi gladio muniti, illorum impetum retardarent, frangerent audaciam. Hos inter viros, qui superiore saeculo adversus vaniloquentiam deerrantium philosophorum germanam vindicarunt fidem, et potissimum in sortem Domini vocatos iuvenes, ne a veritatis semita deflecterent, confirmarunt, iure meritoque illustrem sibi locum vindicat Venerabilis Servus Dei Michaël Garicoïts, sacerdos, qui Congregationis Presbyterorum a Sacro Corde Iesu auctor parensque fuit. Sanctissimus hic sacerdos, uti in postulatoria epistola habet Episcopus Baionensis, illius nempe dioecesis ubi humilis Dei Servus ortum duxit, vixit ac mortuus est, « docuit puer innocentiam et orationis « studium; famulus, cuncta obsequia, quae herorum conciliant benevo- « lentiam; discipulus, parem in pietatis et scientiae acquisitione ardo- « rem; vicarius parochi coadiutor, erga Superiores et senes observan- « tiam, nec non animarum curandarum zelo coniunctam prudentiam; « in Seminariis professor et moderator, summam illam artem artium « clericos in doctrina sana et in omni opere bono informandi; con- « scientiarum moderator, multiformem Spiritus Sancti discretionem; in « condendo denique et formando suo Instituto, vere caelestem sapientiam « ad aedificandam evangelicam turrim supra firmam petram, et dotem « boni Pastoris, qui ante oves vadit et pro ipsis quotidie animam suam « ponit ». En paucis descriptum totius vitae Servi Dei curriculum, ecce veluti ante oculos posita fidelis eiusdem imago. – Ortus est Servus Dei *Ibarre* in dioecesis Baionensis oppidulo, die XV mensis aprilis anni MDCCLXXXXVII, a piis coniugibus Arnaldo Garicoïts et Gratiana Etcheberry. Nonnisi post sex elapsos a nativitate menses ad sacrum fontem adduci potuit puerulus, ob temporum tristitiam, debacchante teterrima in Galliis rei publicae perturbatione, eversis templis, pollutis aris, Dei ministris ad necem quaesitis. Pueritiam apud suos domi transegit eamque innocentissime duxit. Parentibus dicto audiens, a puerilibus nugis alienus, ingenio ad pietatem proclivis, apud altariolum, a semet ipso exstructum, sacerdotem sacra peragentem imitari in deliciis habebat. Vix decimum aetatis annum attigerat, quum, ob rei familiaris penuriam, paternam deserere domum seque agricolae cuiusdam famulatui addicere coactus est, gregisque custos factus, oves pavit. Biennio post ad suos reversus in colendis agris patri adiutor fuit, rudesque tulit agrestis vitae labores. At pius adolescens iam dudum vehementi desiderio tenebatur sacrae suscipiendae Synaxis; loci tamen parochus, non sine gravissimo supplicantis moerore, eiusdem optatis diu obstitit, donec, idoneus habitus qui angelica dape reficeretur, caelesti fere laetitia gaudens, Dei Famulus, fortium Pane refectus, christianae statim perfectionis iter alacriore studio aggressus est. Etenim

se in sortem Domini vocari praesensit et consilium ardenti prece maturavit; sed animi desiderio rei familiaris angustia potissimum obstabat. Omnia verum impedimenta singularis Servi Dei constantia disiecit. Parochus enim decanus vicini pagi Michaëlem uti famulum admittens, institutionis illius curam simul assumpsit, atque ita oppidi illius collegium de parochi consensu celebrare coepit Servus Dei, domestica officia implens fideliter, ut quidquid temporis vacuum haberet studiis daret. Sic grammatices rudimenta didicit. Postea, ut studiis superioribus operam navaret, domesticum famulatum penes Episcopum Baionensem gessit, officii observantissimus, non minus quam in scholasticis muniis diligens et assiduus, adeo ut et Antistitis benevolentiam et doctorum existimationem sibi conciliaret, cum condiscipulis non solum diligentia sed et pietate exemplo esset et, virtutum omnium custode, pudicitia. Has ob eximias laudes Episcopi Secretarius consuluit ut impensis suis Seminarium Aturense Servus Dei ingrederetur, ubi philosophiam ipse calluit; dein in maius Aquae Augustanae Seminarium admissus, singulares nactus est in theologicis disciplinis progressus. Utroque in Seminario luculenta edidit Servus Dei virtutum omnium specimina, non solum ob vividum ingenium et scientiae meritum, sed ob pietatis et modestiae florem, ita ut dignus brevi habitus fuerit qui sacris Ordinibus cohonestaretur. Sacerdotio auctus, die vicesima mensis decembris anni MDCCCXXIII piacularem Hostiam prima vice litavit. Continuo missus est Servus Dei in pagum vulgo *Cambo* appellatum, ut parocho, senio confecto, in curiali munere implendo se adiutorem praeberet; atque hoc quidem in vicario munere gerendo mira emicuit Servi Dei prudentia cum apostolico studio sociata. Grandaevo enim parocho usque se observantissimum exhibuit, dum totis viribus ad sacrum ministerium incubuit. Quare pueris catechesim tradere, verba e suggestu populo facere, corruptos emendare mores, piaculari in exedra confessiones excipere, animam agentibus assidere, omnes optimi pastoris partes religiose coepit implere, nullis laboribus parcens suaeque commoditatis pro populi emolumento penitus immemor. Binos post annos aliud itemque gravius officium Baionensis Episcopus Servo Dei censuit committendum. Arcessivit quippe eum in maius Seminarium, quod tunc situm erat prope celeberrimum peregrinorum concursu sanctuarium Deiparae de *Bétharram* nuncupatum, ut in Ecclesiae spem succrescentibus iuvenibus philosophiam traderet. Ibi inter doctores, iam diu gallicana et iansenistica lue infectos, recens ab hac Sancta Sede proscripti Lamnesiani errores irrepserant; sed Servus Dei puram iugiter integramque servavit doctrinam iuxta Romanae Cathedrae praecepta, unde idem sibi promeruisse visus est splendidum illud praeconium, quod Divus Gregorius in *Moralibus* suis expressit: « Neque enim valde

« laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicuti « enim gravioris culpae est inter bonos bonum non esse, ita immensi est « praeconii bonum etiam inter malos exstitisse » (lib. I, cap. I). Exspectationi autem Antistitis sui cumulate respondit Dei Famulus; in Seminario enim illo, ubi religiosus spiritus et ecclesiastica disciplina languescebant, brevi inveteratis abusibus radicitus avulsis, actuosâ Venerabilis ipsius operâ, prisca refloruit virtus et divinae caritatis igne alumnorum pectora exarsere. Tunc primum cogitare coepit Servus Dei qua ratione dioecesis necessitatibus clerique rectae disciplinae providendum esset, et mente consilium est molitus instituendae Congregationis, cuius alumni sacerdotes in difficillimis pastoralibus muniis obeundis validi forent sacris Antistitibus adiutores; cumque novus Baionensis Episcopus Seminarii maioris sedem in episcopali urbe restituisset, in oppido *Bétharram*, unde Seminarium migraverat, sub Virginis patrocinio Congregationem suam ponere Dei Famulus concupivit. Caelestem imploraturus opem Tolosae in sacram solitudinem recessit, ibique fuit in pio proposito divinitus firmatus, dum, in genua provolutus ante Virginis aram, ut vias suas Dominus sibi ostenderet fervida prece orabat. Baionam reversus mentem suam aperuit Episcopo, qui tamen dubius haesit, remque ad meliora tempora remittendam censuit. Antistitis sui placitis obedientissimus Dei Servus acquiescens nec animo excidit nec spe; atque, ex auspicato, eidem haud diu opperiendum fuit. Nam, cum ipsum Baionam Episcopus vocasset ut in Seminario theologicas disciplinas doceret, et ad nutum sui Praesulis promptus advolasset Dei Servus, tantae permotus obedientiae exemplo Episcopus eum iussit ut, omni solutus onere, ad sanctuarium de *Bétharram* reverteretur, ibique, quod admodum optaverat, novae Congregationi condendae operam daret. Hoc fuit exordium Congregationis Presbyterorum vulgo de *Bétharram*, ad exitum vertente trigesimo quarto supra millesimum et octingentesimum anno. Nec defuit exordiis illa humilitatis et christianae paupertatis nota, quae praeclariora Dei opera semper illustravit; nullae Dei Famulo suppetebant opes, tenuis itemque vilis erat alumnorum cibus; sed, divina fretus Providentia, fundator omnes difficultates miranda devicit patientia et prudentissimis legibus ineuntem societatem munivit, firmavit. Anno vero MDCCCXXXXI pius conditor societatem eandem Sacratissimo Cordi Iesu nuncupatam commendatamque voluit; ipsoque anno, Episcoporum mandatis subditus, cum primis sociis religiosa vota paupertatis, castitatis atque obedientiae Dei Servus nuncupavit. Congregationis regimen, sibi a Baionensi Episcopo demandatum et a confratribus confirmatum, quoad vixit, tenuit, eoque in munere parentis potius quam moderatoris more se gessit, nihil a suis exigens, quod ipse antea non praestitisset: nullum,

licet humile ac demissum officium, praetermittens, quo libentius ac facilius Congregationis leges a sodalibus servarentur. Pii sapientisque conditoris et moderatoris spiritus ac fervor in alumnis etiam exarsit, et brevi societas ipsa uberrimos nacta est progressus; novis enim erectis domibus, Baionensis dioecesis fines praetergressa est Congregatio et, vivente adhuc legifero parente, in longinquas Americae regiones migravit, ubi latissimus patuit evangelicis operariis campus. Nec in fundanda dumtaxat ac regenda Congregatione sua laboravit Dei Servus; sed alia, et quidem gravis ei fuit cura. Filiarum enim Crucis, sive Sororum a Sancto Andrea, spirituali bono naviter consuluit et demandatum sibi de eisdem a Baionensi Antistite munus triginta per annos religiose obivit; sic, multiplicatis industriis ac laboribus assiduis, dum sodalitium suum magis magisque florens conspexit, de Congregatione etiam Filiarum Crucis optime meritus est. Ad novissimos usque vitae suae dies apostolatum exercuit pro gloria Dei, sanctae Ecclesiae bono et spirituali christiani populi salute. Die, qui illi supremus illuxit, licet iam tenui uteretur valetudine, quasi adventantis mortis praesagus, ad Baionensem Antistitem venit, eique Congregationem suam commendavit; dein asceterium virginum a Cruce invisit universaeque communitati benedixit. Reversus autem *Bétharram*, sub vesperam cum alumnis suis hilari vultu conversatus est, seque omnia cum Episcopo composuisse dixit. Dein cubitum in conclave suum secessit, ibique, repentina perculsus suffocatione, sui compos et Oleo Sancto inunctus, fervidas iaculatorias preces corde potius quam ore eliciens, Deo reddidit spiritum, Ascensionis Domini Nostri pervigilio, nempe die XIV mensis maii anni MDCCCLXIII, aetatis suae anno sexagesimo septimo. Singularis fama sanctitatis, qua vivens Dei Servus gavisus fuerat, post obitum eius caelestibus confirmata signis magis magisque percrebuit. Ad cadaver in templo expositum invisendum biduo cuiusque ordinis et conditionis confluxere cives, cruces, rosaria, sacra numismata certatim corpori admoventes; Episcopus Baionensis pectoralem crucem suam cadaveri imposuit, sanctitatem defuncti Servi Dei effusis lacrymis testatus. Funebris pompa triumpho simillima fuit ac deinceps sepulcrum Servi Dei magna semper populi frequentia celebratum est. Quare causa agitari coepta est de caelitum honoribus Dei Famulo decernendis et Ordinariis processibus in Curiis tam Parisiensi quam Baionensi rite adornatis, rec. mem. Leo PP. XIII, Praedecessor Noster, manu sua introducendae causae Commissionem signavit. Itaque apud Sacrorum Rituum Congregationem iudiciales initae disceptationes de virtutibus quibus inclaruerat Servus Dei, hasque, probationibus omnibus rite sumptis expensisque, heroicum attigisse fastigium solemni decreto, quarto idus decembres anni MDCCCCXVI edito, rec. mem. Decessor Noster Benedictus PP. XV sanxit.

Continuo sequuta est actio de miraculis, quae, Dei Famulo deprecante, divinitus patrata ferebantur, auditaque peritorum sententia, ceterisque de iure absolutis, Nos ipsi, per decretum decimoquarto kalendas apriles vertentis anni datum, de duobus miraculis constare declaravimus. Cum igitur de virtutibus heroicis ac de duplici miraculo iam esset prolatum iudicium, illud supererat inquirendum, scilicet ut Sacrorum Rituum Cardinales et Consultores rogarentur an tuto procedi posse censerent ad sollemnem Venerabilis Servi Dei Beatificationem. Hoc praestitit dilectus filius Noster Ludovicus S. R. E. Diaconus Card. Billot, Causae Relator, in generalibus comitiis, die decima mensis aprilis anni vertentis, in Vaticanis aedibus coram Nobis habitis; omnesque qui convenerant, tam purpurati Principes quam Consultores, unanimi consensu affirmative responderunt. Nos tamen, in tanti momenti re, Nostram aperire mentem distulimus, donec a Patre luminum caelestis sapientiae auxilium impetraremus. Quod cum impensis precibus fecissemus, tandem, Dominica secunda post Pascha, qua die in Ecclesia proponitur Evangelium *Boni Pastoris*, scilicet decimo septimo kalendas maias huius anni, Eucharistico Sacro rite litato, accitis adstantibusque VV. FF. NN. Antonio S. R. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et Ludovico S. R. E. Diacono Cardinali Billot, Causae relatore, una cum dilectis filiis Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, nec non Alexandro Verde, eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, sollemniter ediximus tuto procedi posse ad ipsius Venerabilis Dei Famuli Beatificationem. Quare precibus etiam permoti alumnorum e Congregatione Presbyterorum a Sacro Corde Iesu, vulgo de *Bétharram*, auctoritate Nostra apostolica, praesentium Litterarum tenore, facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Michaël Garicoïts, sacerdos, fundator enunciatae Congregationis Presbyterorum a Sacro Corde Iesu, Beatus in posterum appelletur eiusque corpus sive relliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur et imagines radiis decorentur. Insuper eadem auctoritate Nostra concedimus ut de illo recitetur Officium et Missa celebretur de Communi Confessorum non Pontificum iuxta Rubricas Missalis et Breviarii Romani, cum orationibus propriis per Nos adprobatis. Hanc vero Officii recitationem et Missae celebrationem fieri dumtaxat concedimus in diocesi Baionensi nec non in templis omnibus et religiosis domibus ubique terrarum sitis Congregationis Presbyterorum a Sacro Corde Iesu, vulgo de *Bétharram*, ab omnibus fidelibus tam saecularibus quam regularibus, qui Horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, a sacerdotibus confluentibus ad ecclesias in quibus Beati eiusdem festum agitur. Denique concedimus ut sollemnia

Beatificationis Venerabilis Servi Dei Michaëlis Garicoïts in dioecesi atque in templis supradictis celebrentur cum Officio et Missa duplicis maioris ritus; quod quidem fieri praecipimus diebus per Ordinarium designandis intra annum postquam eadem sollemnia in patriarchali Basilica Vaticana fuerint celebrata.

Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrorum Rituum Congregationis subscripta et Cardinalis Praefecti sigillo munita sint, in disceptationibus etiam iudicialibus, eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, his ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

VEN. DEI SERVUS ROBERTUS S. R. E. CARD. BELLARMINUS, E SOCIETATE IESU, BEATUS RENUNCIATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Conspicuum, omni procul dubio, locum obtinet inter praestantissimos sanctitate ac doctrina viros, quibus inclyta familia Clericorum Regularium Societatis Iesu nobilitatur, Venerabilis Servus Dei Robertus S. R. E. Cardinalis Bellarminus, qui iure meritoque haberi potest tum Societatis illius, tum Purpuratorum Ecclesiae Patrum Senatus fulgidissima gloria. Et sane idem Dei Servus, doctrinae verbo non minus quam boni operis exemplo, Sanctorum altricem Ecclesiam Dei illustravit: integer, purus, fortis, prudens, sapiens, humilis, in religione, in episcopatu, in summis honoribus nihil aliud quaerens nisi gloriam Dei, cuius amore flagrabat. Hunc Divo Borromaeo similem, haereticorum malleum, sacrae disciplinae instauratorem, christianae fidei culmen et propugnaculum, catholicae veritatis adsertorem ac vindicem strenuum praedicarunt coaevi, ipsique Romani Pontifices Nostri Decessores et in vita sanctissimum et in virtutum omnium exercitatione heroëm appellare non dubitarunt. Natus est Servus Dei in civitate Montis Politiani in Hetruria, die IV mensis octobris anni MDXLII, parentesque sortitus est nobilitate non

minus quam pietate insignes: nempe Vincentium Bellarminum equitem, amplissimis legationibus functum ac magna civium existimatione florentem, et Cynthiam Cerviniam, clarissimam matronam, germanam sororem celeberrimi Cardinalis a Sancta Cruce, qui, nomine Marcelli II, ad Beati hanc Petri Cathedram evectus est. Salutaribus baptismatis aquis abluto puerulo nomina fuerunt Roberto, Francisco, Romulo, et statim a primis aetatis annis mira in eo pietas illuxit. A puerilibus enim nugis alienus, orationi saepius vacabat, et alios pueros ad se vocare in deliciis habebat ut una simul Dei laudes celebrarent: immo vix quinque annos natus, scamnum adscendens, sacros in concionando oratores imitari studebat. Acri praeditus ingenio, grammaticam brevi didicit, et in scholis Societatis Iesu, patria in urbe, inter rhetoricae alumnos admissus, poësim non sine laude exercuit. Latinas simul graecasque litteras calluit, et doctorum laudes et condiscipulorum amorem sibi merito excitavit. Ex ipso Servi Dei ore innocentia emicabat, atque is, in scholasticis disceptationibus publicis, angelus intuentibus videbatur. Cum octavum supra decimum annum aetatis ageret, et genitori admodum in votis esset Patavium eum mittere ad superiora studia, Servus Dei temporales honores despiciens se in Societatem Iesu abdere cogitavit, devictisque virili pectore omnibus obstaculis, Romam venit et, rite expleto tirocinio, in Conlegio Romano philosophicis disciplinis vacavit. Primis religiosae vitae annis tenui usus est valetudine, nihilominus tales obtinuit in doctrina progressus, ut, exacto triennio factoque publico periculo, dignus habitus fuerit, qui plenis suffragiis Magistri titulo potiretur. Florentiam missus ut humanas litteras traderet, adeo graviter aegrotavit, ut ex medicorum sententia iam morti proximus appareret; sed Robertus, ut sibi concederet vitam fervida prece rogans Deum, non alium ad finem impendendam quam ad maiorem eius gloriam procurandam, ex insperato convaluit; atque alacriore studio tum ad Magistri officium implendum, tum ad vitae internae perfectionem assequendam incubuit. Anno MDLXIV, stridente hyeme ac perdifficili itinere, Superiorum iussu se contulit Montis Regalis ad urbem, in Pedemonte, ut graecam linguam doceret, quo quidem officio singulari cum laude functus est. Tempus autem, quod a studiis supererat, in pietatis exercitationibus Dei Famulus insumebat et, concionator egregius, saepe in publicis templis verba populo faciebat. Patavium postea missus ad theologiam addiscendam, illa etiam in civitate sacra praedicatione uberrimam messuit spiritualem segetem; atque inde Lovanium a Societatis Iesu Praeposito generali designatus discessit et, celeberrimo illo in Conlegio, splendidissima dedit doctrinae ac sanctitatis testimonia. Hebraicam enim linguam etiam didicit, et, sacrae theologiae lector renuntiatus, doctissimum illum, quem

multo serius edidit, *de Scriptoribus ecclesiasticis* librum ibi tunc composuit. Eadem in Urbe per septennium mansit, ac, solemnibus professionis religiosae votis nuncupatis et sacris Ordinibus Gandavii susceptis, Venerabilis Dei Servus salutarem Deo Hostiam, singulari laetitia perfusus, Lovanii prima vice litavit. Sacerdotio auctus, plurimas obtinuit haereticorum conversiones, disertissimus divini verbi praeco et, in piaculari exedra, prudens conscientiarum moderator. Saeviente interea in Bataviae regionibus inter catholicos et haereticos bello, saepe Dei Servus vitae periculum subiit, nonnisi praesente caelesti ope a supremo discrimine liberatus; donec in patriam revocatus est, eique ibidem, auctoritate Decessoris Nostri Gregorii Pp. XIII, peculiaris scholasticae theologiae cathedra de controversiis fidei in Conlegio Romano concredita fuit. Hac ex cathedra mirandum in modum Servi Dei fides effulsit ac sapientia, studiumque, quo flagrabat, germanae Christi doctrinae tuendae ac vindicandae. Pontificis enim dicto audiens, qui ipsam facultatem scholasticam instituerat, ut dogmata Fidei propugnarentur adversus machinationes Lutheranorum, Calvinistarum aliorumque haereticorum, qui per illud temporis in pluribus Europae nationibus grassabantur, undecim per annos Dei Servus, eruditissimis lectionibus, falsas haereticorum doctrinas refutavit, eaedemque lectiones sub titulo *Controversiarum in haereticos* praelo impressae ac per universam Europam diffusae, tum pervicaciam haereticorum fregerunt, tum mirandas conversiones ad romanam fidem obtinuerunt. Quare Praedecessor Noster Sixtus Pp. V, anno MDLXXXIX, Dei Servum uti theologum, cum Cardinali Caietano Pontificis Legato, misit in Galliam, ubi strenuus Apostolici Legati fuit adiutor et consiliarius. Tredecim post menses Dei Servo in patriam reverso, a Gregorio XIV commissum est Sacram Scripturam una cum aliis doctis viris emendandi munus; quod opus immane alacri pectore idem aggressus, ut splendide absolveretur multum adlaboravit. Mox Conlegii Romani rector constitutus, nec non in spiritualibus Praefectus, alumnos suos ad religiosae vitae perfectionem atque ad humilitatis potissimum studium exemplo non minus quam consilio inflammavit; dein ad Provinciae Neapolitanae regimen vocatus, hoc quidem in officio singulari prudentia se gessit. Sed, tot ac tantis meritis clarus, ad maiora Dei Servus vocabatur munera. Illum enim Romam accivit cla. mem. Clemens Pp. VIII, eumque theologum suum esse voluit, nec non Sancti Officii Consultorem; dein eumdem, in sollemni Consistorio habito feria quarta Quatuor Temporum Quadragesimae die III martii anni MDLXXXIX, Romana Purpura ornavit, splendidum hoc de illo texens elogium: « Hunc eligimus quia non habet parem Ecclesia Dei, quod ad doctrinam ». Verum Dei Servus, qui Societatem Iesu elegerat ut, a mundanis dignitatibus alienus, uni Deo posset

inservire, accepto tantae dignitatis nuntio, quasi exhorruit; religiosorum suorum consilium supplex impetravit, et nonnisi obedientia a Romano Pontifice adactus, effusisque lacrymis, dignitatis insignia suscepit. Etsi in supremum Ecclesiae Senatum adlectus esset, nihil tamen a religiosae vitae tenore sibi deflectendum esse Dei Servus censuit; opimis sibi ab Hispaniarum Rege exhibitis pensionibus firmiter recusatis, modicam tantum a Romano Pontifice pecuniae summam accepit, ad dignitatis gradum sustentandum necessariam; residentiam quoque elegit, cum primum potuit, Romano Conlegio proximam, ut dilectae communitatis tintinnabulum audiret et eius sonitui obtemperaret. Sed aliud, angelicis quoque humeris formidandum, onus Dei Servum manebat. Etenim, cum anno MDCII archiepiscopalis sedes Capuana vacasset, Clemens VIII Ecclesiae illius regimen Bellarmino censuit committendum, ipsumque die XXI mensis aprilis illius anni, manu propria, Capuanum Archiepiscopum consecravit. Ob eximiam, qua fruebatur, sanctitatis famam Capuae pompa receptus, triumpho simillima, ab ovantibus et gratulantibus clero, proceribus et omnis conditionis civibus, continuo pastorale ministerium diligentissime coepit exercere. Accuratissima sacra visitatione dioecesim universam lustravit, cleri disciplinam restituit, veteres abusus eradicavit, in domibus religiosis communem vitam iterum excitavit, divini cultus decori consuluit, miram denique morum conversionem, potissimum sacris concionibus, obtinuit. Nec spirituali dumtaxat, sed etiam temporali archidioecesis bono prospexit vigilantissimus Pastor: archiepiscopalem enim domum, vetustate fatiscentem, instaurandam curavit, omnesque episcopalis mensae redditus, propriae commoditatis immemor, in cathedralis templi ornatum divinique cultus splendorem impendit. Tres per annos Servus Dei Capuanam sedem moderatus est, donec, demortuis, anno MDCV, Clemente VIII et Leone XI, Paulus V, Pontifex electus, ut sapientibus illius consiliis uteretur, in Curia Bellarminum retinuit. Dimissa igitur Capuana sede Romae Dei Famulus mansit, et ibidem apostolicis Congregationibus, impenso studio, operam suam navavit, verbo et scriptis Ecclesiae iura iugiter vindicavit atque in gravissimis negotiis pertractandis luculenta doctrinae prudentiaeque exhibuit testimonia; et tamen hoc etiam tempore pueros rudesque doctrina christiana instituere solebat; cuius nempe doctrinae praeclarissimum *Compendium*, ad eorum captum apprime accommodatum, iussu ipsius Clementis VIII Rom. Pontificis, multo ante exaraverat. Tandem, laboribus fractus, impetrata a Summo Pontifice licentia, secessit in novitiorum sui Ordinis domum ad S. Andreae in colle Quirinali, ut, omnibus solutus negotiis, se ad mortem, quam proximam praesentiebat, compararet. Et re quidem vera febri correptus discubuit atque, ingravescente morbo paucos post dies, extremis Ecclesiae Sacramentis

munitus est. « Dissolvi cupiens et cum Christo esse » infirmitatis dolores patienti animo pertulit, assidua prece Iesu et Virginis dulcissima nomina repetens. Proximae tanti viri mortis nuntius universam Urbem summo moerore affecit, et plurimi cives, sive ex optimatibus sive e popularibus, ad S. Andreae domum confluebant, ut suprema vice sanctum inviserent. Idem Pontifex Gregorius XV ad infirmi Servi Dei lectulum accessit, et suprema apostolica Sua benedictione moriturum munivit. Tandem die, quem novissimum vitae suae futurum ipse praedixerat, nempe decimoseptimo mensis septembris anni MDCXXI, quo divi Francisci Asisiensis stygmatum memoria in Ecclesia recolitur, Dei Servus placidissimo exitu mortalem hanc vitam cum immortali commutavit, anno aetatis suae septuagesimo nono. Translatum est Venerabilis Dei Famuli corpus noctu ex memorata sede tirocinii in ecclesiam Nomini Iesu dicatam, ibique, etsi in testamento humilis Dei Servus conscripsisset, funebria iusta absque ulla pompa sibi esse comparanda, nihilominus Romanus Pontifex suis ipse sumptibus eum sepeliri voluit sollemni illo apparatu, qui ad Purpuratum Principem spectat. Apertis vix templi foribus, ingens populi multitudo ad sacrum cadaver invisendum certatim ita confluxit, ut convocati milites circa tumulum impares essent turbae continendae. Post Missarum sollemnia, mitra de mortui capite avulsa et in frustula discerpta, itemque flocculi pilei cardinalitii et laciniae sacrorum paramentorum, quibus indutum erat cadaver, quasi relliquiae raptim in populum dispertitae fuerunt, donec disiectis, militari manu, impetum facientibus fidelibus et cum suprema voce sanctum conclamantibus, conditum est Dei Servi corpus in templo a Nomine Iesu, primum quidem in communi sepulcro suae Societatis sacerdotibus assignato, sed deinde, insequenti anno, in illam ipsam funebrem cryptam translatum est, ubi iam iacuerant mortales exuviae Ignatii Loiolaei, legiferi Societatis Iesu parentis. Quae autem de Servi Dei sanctimonia, cum ipse adhuc viveret, in hominum animis eximia insederat opinio, magis magisque invaluit postquam ipse ex hac mortali statione secessit, caelestibus potissimum aucta signis et miraculis, quae, ipso intercedente, patrata a Deo ferebantur. Quare continuo et in hac alma Urbe et in curiis ecclesiasticis Neapolitana, Capuana et Montis Politiani, auctoritate Ordinaria, inquisitiones inchoatae sunt super fama sanctitatis vitae eius nec non virtutum ac miraculorum, et fel. me. Urbanus VIII Pontifex Maximus Noster Praedecessor introductionis Causae Commissionem manu propria signavit die XII mensis septembris anno MDCXXVI. Verum tria per saecula producta est Causa tam feliciter inita, quae, varias ob extrinsecas rationes, tamdiu siluit, donec die XVI novembris anni MDCCCCXX in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum super eiusdem Causae statu et

super virtutibus Venerabilis Dei Famuli disceptatum de integro est; omnibusque iuridicis probationibus absolutis rec. me. Benedictus PP. XV Decessor Noster, die XXII mensis decembris eiusdem anni MDCCCCXX, sollemni decreto edixit « constare de heroicis Venerabilis Servi Dei Roberti Cardinalis Bellarmini virtutibus ». Adprobatis, ineluctabili Sedis Apostolicae iudicio, heroicis Venerabilis Servi Dei virtutibus, institutum est iudicium de duobus miraculis, quae, Venerabili Bellarmino deprecante, a Deo patrata ferebantur, omnique iudicii severitate adhibita, auditaque iuratorum peritorum sententia, rebusque omnibus accurate perpensis, de duorum illorum prodigiorum veritate Nos ipsi constare decrevimus Dominica secunda post Pascha vertentis anni MDCCCCXXIII. Cum igitur esset de gradu heroico virtutum ac de duobus miraculis prolatum consilium, illud supererat discutiendum, nimirum ut Sacrorum Rituum Congregationis Cardinales et Consultores rogarentur an tuto procedi posse censerent ad sollemnem Venerabilis Dei Famuli Beatificationem. Hoc praestitit dilectus filius Noster Aidanus S. R. E. Diaconus Cardinalis Gasquet, Causae Relator, in generalibus Comitiis coram Nobis habitis, in Vaticanis Aedibus, die vigesima quarta proxime praeteriti mensis aprilis; omnesque tam Cardinales, quam qui intererant Patres Consultores, unanimi consensu affirmative responderunt. Nos tamen, in tanti momenti re, Nostram aperire mentem distulimus, donec a Patre luminum caelestis sapientiae auxilium impetraremus. Quod cum impensis precibus fecissemus, tandem quinto nonas maii huius anni, die scilicet sollemnibus ob Sacrosanctam Crucem Hierosolymis inventam consecrato, Eucharistico Sacro rite litato, accitis adstantibusque venerabili fratre Nostro Antonio S. R. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et S. Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et dilecto filio Nostro Aidano S. R. E. Diacono Cardinali Gasquet, Causae Relatore, una cum dilectis filiis Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, nec non Alexandro Verde, eiusdem S. Rituum Congregationis Secretario, sollemniter ediximus tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Famuli Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmini Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos, precibus etiam permoti universae religiosae familiae Clericorum Regularium Societatis Iesu, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famulus Robertus S. R. E. Cardinalis Bellarminus Beatus in posterum appelletur, eiusque corpus et relliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines eius radiis decorentur. Insuper, eadem auctoritate Nostra, concedimus ut de illo recitetur Officium et Missa celebretur de Communi Confessorum Pontificum, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Eiusdem vero

Officii recitationem et Missae celebrationem fieri dumtaxat concedimus in hac alma Urbe eiusque districtu, nec non in archidioecesi Capuana et in dioecesi Montis Politiani atque in omnibus templis ac domibus, ubique terrarum sitis, quae pertineant ad Clericos Regulares Societatis Iesu, ab omnibus, tam saecularibus quam regularibus, qui Horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet a sacerdotibus ad templa in quibus Beati eiusdem festum agitur confluentibus. Denique largimur ut sollemnia Beatificationis ipsius Servi Dei peragantur cum Officio et Missa duplicis maioris ritus; idque fieri concedimus in praefatis Urbe, dioecesibus, et templis sive sacellis, quae nominavimus, die per Ordinarios designando, intra annum postquam eadem sollemnia in patriarchali Basilica Vaticana fuerint celebrata.

Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrorum Rituum Congregationis subscripta et Cardinalis Praefecti sigillo munita sint, in disceptationibus etiam iudicialibus, eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, his ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD RR. PP. DD. PHILIPPUM RINCON GONZALEZ, ARCHIEPISCOPUM CARACENSEM, ET AD CETEROS EPISCOPOS REIPUBLICAE DE VENEZUELA: NONNULLA PATERNO ANIMO ADMONENS IN ECCLESIAE UTILITATEM.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod novas istic dioeceses, quattuor numero, nuper constituere licuit, id sane incredibilem Nobis attulit, neque una de causa, voluptatem. Placuit enim cum commune vestrum promovendae religionis studium, tum gubernatorum reipublicae oratorumque legibus ferendis aequitatem benignamque voluntatem hac in re agnoscere, quae civitatis ipsius, non Ecclesiae dumtaxat, utilitatibus apud vos augendis quam maxime conducat. Quodsi, per hoc episcopalium sedium incrementum, Ecclesiae commodius actio

temperatur, velimus, ut eiusdem actionis latius acriusque intendendae veluti initium hinc capiatis, cum haud pauca sint, in quibus navitatem vestram – ceteroqui Nobis plane perspectam – advocatam desideremus. Itaque id primum omnium, venerabiles fratres, efficite, ut, quibus in adulescentulis divinae vocationis semina deprehenderitis, ii non modo ad pietatem accuratius informentur, sed etiam in Seminaria dioecesana quamprimum excipiantur. Quae quidem Seminaria ut sint, quemadmodum esse debent, domicilia ad rectam sanctamque adulescentium institutionem undique bene instructa et comparata, ea, quam optime fieri poterit, ordinetis oportet et locupletetis, ita tamen ut ne quid inde detrimenti Seminarium Caracense capiat, quod, altioribus disciplinis tradendis destinatum, vestras omnium curas sollicitudinesque in primis postulat. Neque minus curae vobis esto, ut populus christianus ea ne ignoret quae vel credere vel ex dominica lege debet agere. Ad rem autem mirum quantum proderit scholas parochiales et ubique condi et apte constabiliri: cum enim teneriores animos ad christianae vitae officia penitus conformari contigerit, tum demum integritati morum restituendae consultum erit. Quo in genere praecipue cupimus, in tuenda familiae sanctitate elaboretis; nam, quoniam, qualis domesticus fuerit convictus, talis hominum societas futura est, liquido patet, nisi Deus per matrimonii Sacramentum magnum familiae praesideat eamque gratia sua fulciat, iam de ipsius coniunctionis firmitate, de mutuis parentum filiorumque officiis, de communi honestate morum actum esse. Praeceptis enim Dei Ecclesiaeque posthabitis, consentaneum est nutare ac permisceri omnia, iustitiam, caritatem, concordiam ordinum: quas quidem virtutes ad reipublicae vestrae bonum valde interest incolumes fore, ut, intestinis discidiis bellisque remotis, nationi vestrae constent pacis omnisque civilis progressionis munera. Aliud praeterea est, quod Nos habet haud mediocriter sollicitos: sacras Missiones intellegimus indigenis ad Christum adducendis, quorum per amplissimas istas regiones tam ingens est numerus. Ex ipsis profecto Pontificatus Nostris actis, nostis, venerabiles fratres, quo fidei proferendae studio teneamur; quamobrem non est mirum si tot infidelium miserrimam sortem et comploramus et allevare contendimus. Quodsi vicariatum apostolicum Caronensem superiore anno ereximus, at certe multo maiora necessitas postulat. Quare vos vehementer hortamur, ut, collatis consiliis, videatis quo pacto opus Missionum et melius ordinari et impensius provehi apud vos queat, excitando in eam rem fidelium vestrorum studium ac largitatem. Habetis, venerabiles fratres, quae conscientia apostolici officii impulit ut vobis scriberemus; vestrum iam nunc est, eadem, qua soletis pietate, excipere et ad effectum pro viribus deducere. Caelestium interea donorum auspicem

paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, venerabiles fratres, et clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXV mensis aprilis, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

II

AD R. P. D. IOSEPHUM LERAY, E CONGREGATIONE MISSIONARIORUM A SACRO CORDE IESU, EPISCOPUM TIT. REMESIANENSEM, VICARIUM APOSTOLICUM INSULAR. GILBERTIN., XXV EPISCOPATUS EIUS NATALEM GRATULATUR.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Non sumus equidem ignari quam sedulam religiosi viri, sodales tui, sacris Missionibus sibi creditis dent operam, et quam praeclare de iis longinquis mereantur regionibus, quas multo sudore ad veram fidem perducere nituntur. Quo in genere conspicuum te faciunt, venerabilis frater, cum evangelicae doctrinae in animos indigenarum insinuandae studium, tum satis diuturnum temporis spatium in eiusmodi apostolatu utilissime positum; iam enim sunt anni septem et triginta, postquam patriam reliquisti ut infideles Christo adiungeres, et, quamvis septuagesimum aetatis agere coeperis, iuvenilem adhuc animi ardorem ad ministerium tam laboriosum afferre diceris. Cum autem quintus ac vicesimus proxime cadat episcopatus tui natalis, hunc nolumus praeterire quin peculiarem a Nobis accipias propensae in te voluntatis significationem. Itaque appropinquantem tibi gratulamur eventum, qui Congregationi tuae et ipsis, quos catholicae Ecclesiae peperisti, indigenis erit profecto periucundus; fore eundem, Deo dante, optimum veluti auspicium uberioris posthac messis, summopere confidimus. Fruere igitur, venerabilis frater, huius compensatione laetitiae, qua Christus Dominus actuosam afficit senectutem tuam, atque inde spem praecipe copiosae, quae te in caelis fruenda manet, remunerationis. Cuius quidem sit conciliatrix, itemque paternae benevolentiae Nostrae testis, apostolica benedictio, quam tibi, venerabilis frater, et, quibus praees, missionalibus et fidelibus, peramanter impertimus,

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis aprilis, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

III

AD R. P. D. PASCHALEM BERARDI, ARCHIEPISCOPUM CAIETANUM, XXV AB INITO EPISCOPATU ANNUM IN CONVENTU DIOECESANO EUCHARISTICO CELEBRATURUM.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Affertur ad Nos, proximo mense Conventum Eucharisticum dioecesanum istic habitum iri, et, hac ipsa occasione, clerum ac fideles tuae procurationi commissos quintum ac vicesimum episcopatus tui natalem esse sollemniter commemoraturos. Utrumque tibi eventum, venerabilis frater, ex animo gratulamur: alterum, quod ad excitandam acuendamque populi tui in Augustum Sacramentum caritatem magnopere conferet; alterum, quod effecturum est ut, quasi vicem reddendo, amanter impenseque archidioecesis tuae bonum promoveas. Optamus igitur, ut sacra ista sollemnia et bene succedant et eos afferant fructus qui communem expleant exspectationem. Exploratum enim est Nobis, catholicam fidem per istam regionem alte in animis hominum esse defixam; Nobis vero videmur rem cupere et cogitatu iucundam et factu perutilem, cum cupimus, ut fidei in singulis actio vitae respondeat, omnesque ita collatis viribus agant ut, quam retinent fidem, ea ad rei publicae salutem plurimum habeat momenti. Id quidem futurum sine dubio est, si christianae ignem caritatis ex Corde Sacratissimo Christi Iesu, sub Eucharisticis speciebus latentis, grex tuus et abunde capiat et cotidie magis foveat. Iam vero ut Conventus Eucharisticus animis omnino expiatis et ad meliora comparatis dimittatur, damus, ut postremo eius die, quo die Sacrum pontificali perages ritu, Nostro nomine adstantibus benedicas, proposita plena admissorum venia, usitatis condicionibus lucranda. Caelestium interea donorum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et clero populoque tuo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Rómae apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis aprilis, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

IV

AD R. P. AUGUSTINUM DELAROCHE, SUPERIOREM GENERALEM CANONICORUM REGULARIUM AB IMMACULATA CONCEPTIONE, QUINQUAGESIMUM ACTURUM SACERDOTII SUI NATALEM.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Plurimum tibi debet Sodalitas, quam qui regeres, alter post Conditorem, ab hac ipsa Apostolica Sede es iam pridem delectus; id enim debet – praeter suscepta in universum, hoc tui muneris spatio, incrementa – quod in domos comparandas instruendasque satis amplum contuleris patrimonium tuum, atque in difficillimis rerum condicionibus Congregationem ab extremo paene discrimine vindicaveris. Sed alia quoque est causa, quae, quandoquidem in re versatur iu qua Nostrae admodum curae vigilant, efficit, ut Nobismet ipsis vehementer proberis. Cum enim Urbs, aucto civium numero, latius produci ac patescere coepisset, atque idcirco in nova ea viarum aediumque laxitate divino cultui animarumque procurationi apte consuli oporteret, tu, dilecte fili, quo es animo et ad Romani Pontificis desideria parato et religionis provehendae in primis studioso, non modo sedem in recenti quadam Urbis regione constituisti, sed etiam spirituale eius regimen a tuis obeundum accepisti perlibenter. Nec profecto ignoramus, te nihil reliqui facere, conrogata quoque per Sodales tuos, ubicumque commorantur, a fidelibus stipe, ut prope domum istam vestram templum parochiale ac votivum in Reginae Pacis honorem e solo excitari quam primum liceat. Nihil igitur mirum si, quos istic cives ad pietatem christianasque virtutes excolitis, iidem parant, ut audimus, peculiaribus grati animi sui significationibus te, dilecte fili, honestare et prosequi die tertio decimo huius mensis, quo die quinquagesimum acturus es sacerdotii tui natalem. Qui quidem ut et tibi laetior illucescat et augustior per Nos reddatur, communis tui tuorumque gaudii participes sociique esse volumus gratulationibus ominibusque Nostris; optamus autem, ut, in caelestis exspectatione mercedis, cum Sodalitati tuae, tum populo isti vobis concredito, quam diutissime adsis incolumisque serveris. Divinorum interea munerum copiam tibi conciliet, itemque paternam testetur benevolentiam erga te Nostram, apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili, Canonicis Regularibus, quos moderaris, et regionis istius Urbanae fidelibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VIII mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

V

AD R. P. HENRICUM QUENTIN, O. S. B.: DE OBLATO VOLUMINE « MÉMOIRE SUR L'ÉTABLISSEMENT DU TEXTE DE LA VULGATE » GRATIAS AGIT ET LAUDES.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Non mediocri cum delectatione animi librum accepimus a te erudite conscriptum, quem, e Collectaneis Biblicis Latinis sextum, hoc titulo *Mémoire sur l'établissement du texte de la Vulgate*, nuper obtulisti, munusculum pietatis erga Nos tuae, ut litterae in eius fronte inscriptae declarant. In eo enim ostendis quo pacto editionis Bibliorum Vulgatae vera germanaque lectio attingi queat, principiis legibusque constitutis, quae plurimum conferent ad integram illam Hieronymianae versionis restitutionem, quae sodalibus praeclari Ordinis Benedictini a decessoribus Nostris est auspicato commissa. Ad eiusmodi autem opus adornandum apprime factus videbaris ob subtilitatem iudicii qua polles, quamque diu experiendo auxisti, primum cum Martyrologia investigares, dein cum codices ipsius Vulgatae manu scriptos colligeres atque alteros cum alteris conferres. Quae quidem iudicii vis ac facultas tum maxime elucet, quotiescumque varias discernis accurateque pensas lectiones et, codicibus in familias, quas vocant, digestis, has inter se comparas. In quo eam secutus es atque induxisti viam et rationem, quam qui tenuerit, etsi tanta est codicum copia ac tam multiplex lectionum varietas, fieri non poterit quin tuto is propositum assequatur. Nos igitur cum tua haec studia vehementer probamus, tum uberrimos allatura esse fructus omnino confidimus, ea praesertim spe ducti, fore ut tu ac sodales tui tam laboriosum Vulgatae ad codicum fidem emendandae opus brevi absolvatis ac perficiatis cum magna Ecclesiae utilitate catholicaeque laude doctrinae. Interea gratum tibi significantes animum Nostrum de oblato volumine, caelestium donorum auspicem paternaeque benevolentiae erga te Nostrae testem, tibi, dilecte fili, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die X mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

VI

AD R. P. PAULUM MARIAM REYNAUD, EPISCOPUM TIT. FUSSALANUM, VICARIUM APOSTOLICUM DE CE-KIAM ORIENTALI: CUIUS ACTUOSAM OPERAM PRO MISSIONIBUS IMPENSAM LAUDE HONESTAT.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Ad te mentis Nostrae aciem convertimus, de quo plura nuntiantur apprime digna, quae peculiarem tibi benevolentiam Nostram concilient. Quodsi omnes habemus caros, quotquot proferendo inter infideles Evangelio dant operam, at Nobis profecto in visceribus haerent generosiores ii viri qui inter missionales eminent, quemadmodum ipse sine ulla dubitatione emines. Novimus enim quam singulari amore a clero indigena diligaris, quem, praeceptis optatisque huius Apostolicae Sedis religiosissime obsecutus, ad sacras disciplinas, ad pietatem, ad sacerdotales virtutes effingere atque informare non desinis. Grande sane est istud, quo fungimini, apostolatus munus, et tale, quo efficienter fructuoseque fungi nemo quisquam possit, nisi sincero apostolorum spiritu sit penitus imbutus; proptereaque recte facis, cum eundem spiritum, quo tu, venerabilis frater, affluis, in clericos sacerdotesque indigenas transfundere omni contentione niteris. Sed aliam pastoralis animi tui laudem praecipue commemorare libet, insignem scilicet caritatem, qua Sinenses istos tuos complecteris. Insignem merito dicimus; in summa enim annonae gravitate, qua antehac provincia Ce-Kiam ista miserrime pressa est, non modo ipsemet, quicquid habebas facultatum, in iuvandos fame enectos contulisti, sed etiam vestimentorum tuorum partem iis levandis pignerasti. Quae quidem egregia facinora Ille aliquando retribuet qui *Caritas est;* Nos autem, qui Eius vices, nullis Nostris meritis, gerimus, et ea tibi impense gratulamur et laetitiam illam participamus quae obventura tibi est plenior hoc anno, vitae religiosae quinquagesimo eodemque episcopatus quadragesimo. Hanc utinam duplicis eventi faustitatem uberior comitetur caelestium gratiarum effusio, quae Christo infidelium animas lucretur, fidelium arctius coniungat; earundem interea auspicem paternaeque voluntatis erga te Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et missionalibus populoque vicariatus istius tui apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XII mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

VII

AD R. P. D. PETRUM MARIAM GENDREAU, EPISCOPUM TIT. CHRYSOPOLITANUM, VICARIUM APOSTOLICUM DE TON-KIN OCCIDENTALI: PLENUM QUINQUAGESIMUM AB INITO SACERDOTIO ANNUM GRATULATUR.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Postquam, abhinc quinquaginta annos, in sacello Seminarii Parisiensis Missionum exterarum primum Deo litavisti, fuisse te in sacerdotalis atque episcopalis vitae curriculo actuosissimum divini Verbi ad Sinenses ministrum, et prudentia usuque rerum in gubernando enituisse, Apostolicae huic Sedi res est penitus explorata et cognita. Quo in genere nonnulla libenter commemoramus, e quibus liquido patet, qua apud clerum istum vel europaeum vel indigenam existimatione flores et gratia, eam non tibi aliunde partam, quam ex praeclaris tuis cum animi laudibus, tum in Missionem tibi creditam promeritis. Haud multo enim post coeptum istic ministerium sacrum, Antistitis tui iussu, processum ordinarium, quem vocant, de quadringentorum et quinquaginta Servorum Dei martyrio instituisti, qui haud multo ante, rege Tu-Duc, in odium fidei, ut fertur, caesi erant; quem statim ac confeceras, ad episcopalem dignitatem evectus es et adiutor Vicario Apostolico datus. Cui cum vita functo per ea tempora successisses, quibus tandem aliquando christianam profiteri religionem omnibus publice licuit, curae tibi fuit, ut damna ante per vexationes illata reparares et nova rerum condicione in vicariatus bonum quoquo pacto utereris. Perstudiosae hac in re voluntati tuae felicissimum respondisse exitum, vel ipse Missionum tuarum status perspicue ostendit, ubi stationum, sacrarum aedium, sacerdotum indigenarum, christianae doctrinae praeceptorum et fidelium numerus mirifice increbruit. Quae christiani nominis amplificatio, etsi tecum in ea naviter elaborarunt religiosae utriusque sexus, quas istuc induxisti, familiae, maximam tamen partem tribuenda est cum saepe a te datis sermone annamitico efficacissimis ad clerum populumque litteris, tum visitationibus pastoralibus, quas, non sine summo animi corporisque labore, ad populum Christi fide imbuendum emendandumve dirigere potissimum soles, tum etiam caritati qua indigenarum necessitatibus adhuc prospexisti, praesertim cum vel inedia vel aquarum eluvionibus urgerentur. Quinquagesimus igitur sacerdotii tui natalis, quem proximo acturus es mense, si quidem tibi iucundus illucescet, at tuis erit profecto laetissimus; eundemque, quasi quoddam tam diuturni temporis sancte laborioseque exacti

complementum, tibi, venerabilis frater, et Nos vehementer gratulamur et Pastorum Princeps Iesu Christus copiosis solaciis gratiisque, ut pro certo habemus, memorabilem efficiet. Divinorum interea munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et clero populoque vicariatus tui apostolicam benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XII mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

VIII

AD EMUM P. D. ANTONIUM S. R. E. CARDINALEM VICO, EPISCOPUM PORTUENSEM ET S. RUFINAE, SACRAE RITUUM CONGREGATIONI PRAEFECTUM: DE SOLLEMNIBUS BEATAE TERESIAE A IESU INFANTE LEXOVII PERSOLVENDIS.

Venerabilis frater Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Pro tuo ipse officio prae ceteris nosti, quam libenti iucundoque animo Venerabili Dei Famulae Teresiae a Iesu Infante beatorum caelitum honores nuperrime decreverimus. Etenim non sine peculiari miserentis amantissimique Dei consilio contigisse putamus, ut, nondum exacto decennio ex quo eiusmodi causa agitari coepta est, et anno quinto ac vicesimo vix pleno a sanctissimo Teresiae obitu, res sit, omnibus rite servatis, absoluta feliciter. In tanta hac sane caelestium oblivione rerum, in hoc tanto supernaturalis ordinis contemptu, perque haec tempora, cum non pauci homines tam magnos gerunt spiritus ut catholicam Ecclesiam, sanctitatis matrem omnisque humanitatis altricem, aut ignorent aut ignorare se simulent, referendum est Deo acceptum, quod ea ipsa adulescentula, quae in Carmeli claustris ignota degerat, inlustris ubique gentium evaserit, cum ob simplicitatem ingenuitatemque animi et vitam angelicae simillimam, tum ob virtutum miraculorumque splendorem, tum denique ob perfectionem eius, quam prae se tulit, *infantiae spiritualis*, cuius magistram se candidulam praestitit in mirabili eo libro, quem, Superiorum iussu, venuste – et venustate quidem non arte quaesita – de vita sua conscripsit. Exemplum eam profecto Ecclesiae filiis insigne carissimumque ad imitandum proposuimus; proposuimus rite colendam, quae sanctitatis herois exstitisset, eoque ipso patronam ac deprecatricem dedimus, utpote quae coeperit, quemadmodum ipsamet praenuntiaverat, pergatque *pluviam rosarum* e caelo in homines demittere. Nunc autem, sacris sollemnibus in

patriarchali Basilica Vaticana peractis, reliquum est, ut apud Carmelitas Excalceatos et in dioecesi Baiocensi et Lexoviensi usitatae in triduum supplicationes habeantur, unde plurimum Deo ipsique beatae Teresiae gloriae neque minus spiritualis emolumenti christifidelibus accedere confidimus. Quo in genere non sine animi voluptate accepimus, te, venerabilis frater Noster, rogatum esse Lexovium te conferas, ut statis sollemnibus ea in civitate praesideas. Hanc quidem invitationem vehementer probamus, et quia tibi, sollerti causae Teresianae Relatori, bene debitam, et quia supplicationes illas efficies romanae purpurae maiestate augustiores. Laeto igitur omine iter illud ingredere; Lexovienses autem cives Nostris verbis hortare, ut, quandoquidem beatae Carmelitidis corpus intra moenia sua auspicato possident, cum praeclara inde capiant christianarum virtutum incitamenta, tum pro communi omnium Patre ad *sepulcrum eius gloriosum* preces admovere ne desinant. Divinorum interea munerum conciliatricem paternaeque caritatis Nostrae testem, tibi, venerabilis frater Noster, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIV mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostr secundo.

PIUS PP. XI

IX

AD R. P. CAROLUM LAGIER, ANTISTITEM URBANUM, MODERATOREM GENERALEM PII OPERIS SCHOLARUM ORIENTIS, IPSIUS OPERIS UTILITATEM COMMENDANS.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Istud, cui praees Opus, iterum iterumque proximi decessores Nostri et laudibus cumulaverunt et piae fidelium liberalitati impense commendarunt. Eosque iure meritoque id fecisse, non modo ipsum comprobat, quod vos assequi studetis, propositum, sed etiam proposito congruens actio ipsorum vestra, quae utilitates sane praeclaras Orienti christiano ad hunc diem attulit. Nam, praeter alia multa quae in dissitis illis regionibus, magnarum rerum memoria inlustribus, conamini, illud praecipue vobis curae est, ut et catholicas ibidem Missiones subsidiis omne genus provehatis, et iuventutem recte instituendam ab erroribusque heterodoxorum tuendam opportuno scholarum praesidio curetis. Nullum sane vestro instituto salubrius cogitari potest. Quare pergratum Nobis accidit quod nuntiastis, quam con-

suevistis quotannis a Galliae fidelibus in Orientalium bonum conrogare stipem, eam anno proxime elapso aliquanto copiosiorem fuisse. Verumtamen intellegimus, quod ipsi fatemini, id omne tantis necessitatibus longe esse impar. Nos igitur, cum studium dilaudemus vestrum, qui pro Orientalium salute tantopere contenditis, tum Gallicum episcopatum generososque civium vestrorum animos vobis advocamus. Nullo sane in negotio, quod religionis humanitatisque intersit, horum largitas desideratur; at velimus ii saepe recolant, tantum abesse ut res domestica largiundo extenuetur, ut etiam, Deo dante, magis magisque floreat ac revirescat. Vestro interea Nos incepto bene precamur, confisi futurum, ut, catholicis e Gallia vobiscum conspirantibus, ea capiat posthac incrementa, quae operis ipsius gravitati amplissimaeque utilitati respondeant. Quod ut e communibus optatis succedat, caelestis auxilii auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et ceteris in Consilio tibi assidentibus, itemque universis iis qui, collata stipe, opus vestrum adiuvant vel adiuturi sunt, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIV mensis maii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostris secundo.

PIUS PP. XI

X

AD R. P. D. BONAVENTURAM CERRETTI, ARCHIEPISCOPUM TIT. CORYNTHIENSEM, APOSTOLICAE SEDIS NUNTIUM IN GALLIA: DE SAECULARIBUS HONORIBUS MEMORIAE LUDOVICI PASTEUR DECRETIS.

Vénérable frère, salut et bénédiction apostolique. — L'invitation qui a été faite au Saint-Siège de participer aux solennités du centenaire de Louis Pasteur Nous a été particulièrement agréable, et Nous voulons Nous-mêmes Nous y associer en vous déléguant pour Nous représenter en cette circonstance.

Pasteur est une figure trop noble de savant chrétien, ses succès scientifiques ont été trop bienfaisants, son œuvre de charité et de dévouement est trop universelle, pour que le Saint-Siège ne s'associe pas aux fêtes organisées pour célébrer sa mémoire.

Ses études sur l'origine de la vie, sa lutte contre les maladies microbiennes, ont été la base et le point de départ de toute une série d'appli-

cations qui ne cessent de répandre leurs bienfaits à toute l'humanité souffrante.

Mais surtout, au milieu de ses études et de ses magnifiques découvertes, il gardait la foi droite, simple et confiante, et ses études scientifiques lui faisaient découvrir de plus en plus, au fond de toutes choses, le Dieu infini, qui illuminait et consolait son âme, qui inspirait sa charité. C'est avec ce secours divin qu'il put, comme il l'affirma dans son discours d'inauguration de l'Institut qui porte son nom, reculer les frontières de la vie: ce qui n'est, certes, pas un modeste titre de gloire pour un mortel.

Heureux de Nous associer aux fêtes solennelles du centenaire de ce savant, grand parmi les plus grands, Nous formons le vœu que la jeunesse studieuse et les hommes de science s'inspirent des magnifiques exemples de ce maître.

En témoignage de Notre spéciale bienveillance Nous vous accordons de tout cœur la Bénédiction Apostolique.

Rome, du Vatican, le 20 mai 1923.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

I

DAMNANTUR OPERA QUAEDAM M. MIR ET I. DE RECALDE

DECRETUM

Feria IV, die 2 maii 1923

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii Emi ac Rmi Domini Cardinales fidei et moribus tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, proscripserunt, damnaverunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserenda mandaverunt opera:

I. *Historia interna documentada de la Compañía de Jesús*, par Don MIGUEL MIR, Pbro, de la Real Academia Española. Tomo I et II.

II. *Histoire intérieure de la Compagnie de Jésus d'après les documents, adapté par* I. DE RÉCALDE *du récent ouvrage espagnol de Don Miguel Mir:* I, « Les principes ». Paris, Librairie Moderne, 2, Rue de l'Echaudé Saint-Germain, 2, 1922.

Et insequenti feria V, die 3 eiusdem mensis et anni, Sanctissimus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XI, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 4 maii 1923.

Aloisius Castellano,
Supremae S. C. S. Officii Notarius.

II

DAMNATUR OPUSCULUM: « L'APPARITION DE LA TRÈS SAINTE VIERGE DE LA SALETTE ».

DECRETUM

Feria IV, die 9 maii 1923

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis S. Officii Emi ac Rmi Domini Cardinales fidei et moribus tutandis praepositi proscripse-

runt atque damnaverunt opusculum: *L'apparition de la très Sainte Vierge sur la sainte montagne de la Salette le samedi 19 septembre 1845. – Simple réimpression du texte intégral publié par Mélanie, etc. Société Saint-Augustin, Paris-Rome-Bruges, 1922;* mandantes ad quos spectat ut exemplaria damnati opusculi e manibus fidelium retrahere curent.

Et eadem feria ac die Sanctissimus D. N. D. Pius divina providentia Papa XI, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 10 maii 1923.

Aloisius Castellano,
Supremae S. C. S. Officii Notarius.

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

ABBATIA SANCTI PETRI DE MUENSTER CONSTITUITUR SUFFRAGANEA ECCLESIAE METROPOLITANAE REGINATENSIS.

DECRETUM

Cum R. P. D. Michaël Ott, Abbas Ordinarius Sancti Petri apud Muenster, preces SSmo D. N. Pio PP. XI porrexerit, ut abbatia Sancti Petri, quae Litteris Apostolicis diei 6 maii 1921 constituta fuit Sanctae Sedi immediate subiecta, provinciae ecclesiasticae Reginatensi uniretur, ad instar dioecesis suffraganeae, Sanctitas Sua, memoratas preces benigne excipiens, gratiam iuxta petita concessit. Quapropter, praesenti Consistoriali decreto, praefata abbatia Sancti Petri penes Muenster declaratur et statuitur suffraganea Ecclesiae metropolitanae Reginatensi et tanquam dioecesis ipsius ecclesiasticae provinciae: contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. C. Consistorialis, die 18 novembris 1922.

✠ C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secretarius.*

L. ✠ S.

Aloisius Sincero, *Adsessor.*

II

PROVISIO ECCLESIAE

Ssmus Dñus Noster Pius Div. Prov. Pp. XI, decreto S. Congregationis Consistorialis diei 3 martii 1923, titulari episcopali Ecclesiae Sorensi praefecit R. D. Iosephum Deitmer, quem constituit Auxiliarem Emi P. D. Adolphi Card. Bertram, Episcopi Vratislaviensi, cum onere residendi in urbe Berolinensi.

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

DUBIUM

DE HABITU NOVITIORUM A TRANSEUNTE AD ALIAM RELIGIONEM GESTANDO

Sacrae Congregationi de Religiosis propositum fuit sequens dubium pro opportuna solutione:

« Religiosus, qui in quadam religione professus, obtento indulto Apo-« stolico, ad aliam religionem transit, teneturne ad habitum novitiorum « religionis *ad quam* suscipiendum et gestandum perdurante novitiatu in « nova religione? ».

Sacra autem Congregatio re mature perpensa respondendum censuit, prout respondet: *Affirmative.*

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 14 maii 1923.

C. Card. Laurenti, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ROMANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI ROBERTI S. R. E. CARDINALIS BELLARMINO, SOCIETATIS IESU.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, TUTO *procedi possit ad solemnem praefati venerabilis Servi Dei Beatificationem?*

Quod, tribus abhinc saeculis, inclytae Societatis Iesu alumni, suo praeeunte Praeposito generali, recte sancteque proposuerant sibi, cum Apostolicam hanc supplices adiverunt Sedem, Beatorum Caelitum honores benemerentissimo sodali suo Roberto S. R. E. Cardinali Bellarmino postulaturi, hoc sane, post tot tantasque sive prosperas sive adversas vices, quas lectissima haec experta fuit Beatificationis causa, cunctis tandem, quae e constitutis iudiciorum formulis servari oportebat, adamussim servatis, beneque adiuvante Deo, se iam esse assequutos, iure meritoque laetantur.

Equidem, ad omnia eorumque adiuncta, quae in hac diiudicanda et expedienda venerabilis Bellarmino Beatificationis causa, alia ex aliis, adeo diuturno tamque vario interiecto saeculorum spatio, evenisse constat, tranquillum animum et praeiudicatae opinionis expertem — uti omnino decet prudentem virum, accuratum veritatis quaesitorem, iustumque veritatis aestimatorem — qui parumper attendat, hic facere procul dubio nequit, quin agnoscere cogatur atque revereri providentiam plane singularem, qua dives semper in sua misericordia Deus, in bonum praesertim fidelium, hasce regit et moderatur Beatificationis et Canonizationis causas, utpote quae ad Romani Pontificis, Sui in terris Vicarii. pertinent Primatum, cumque eiusdem Romani Pontificis infallibili Magisterio maxime coniunguntur et colligantur.

Revera, quae semel iterumque excitatae et allatae in medium dubitationes fuerunt, contradictiones atque repugnantiae, eaedem, aequa lance ad trutinam revocatae quum fuerint, acri intentoque studio expensae atque discussae, si quam forte prae se ferre videbantur difficultatis speciem,

hanc eamdem statim funditusque eas amittere necesse fuit, sicut, oriente sole, diffugiunt illico et dissipantur tenebrae. Nullum proinde facessere illae valuerunt negotium, multoque minus – si quidem fieri id potuisset, fierique, post omnes adhibitas humanas diligentias atque cautiones, postque Divini Spiritus enixe imploratum auxilium et lumen, ipsemet sineret Deus – ex inconcussa stabilitate sua quovis modo perturbare solemne Summi Pontificis rec. me. Benedicti Papae XV super virtutibus venerabilis Bellarmino Decretum, quodque tantam nuperrime novam adeptum est certitudinem atque firmitatem, quanta eidem obvenit ex divino duorum miraculorum testimonio, de quibus alterum agit Sanctissimi Domini nostri Pii Papae XI, superiore aprili mense, editum riteque promulgatum Decretum.

Quin immo istiusmodi dubitationes, contradictiones atque repugnantiae, de quibus iniecta mentio fuit, longe alium, prout exspectandum et necessarium profecto erat, sortitae sunt effectum; quandoquidem ad pleniorem in lucem collocandam excelsam praenobilis Causae huius dignitatem magnopere contulerunt: ita nempe, ut ex hisce omnibus iteratisque ictibus pulchrior usque et illustrior venerabilis Servi Dei Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmino exierit persona, cunctisque eadem patuerit germana prorsus atque sincera, non manca scilicet, neque mutila, neque fucatis coloribus ementita, sed singulis et integris suis partibus vere et fideliter expleta, suoque nativo splendore circumfusa.

Quamobrem in generalibus sacri huius Ordinis comitiis, quae die vigesima quarta proxime praeteriti mensis aprilis, coram Sanctissimo Domino nostro celebrata sunt, proposito per Reverendissimum Cardinalem Aidanum Gasquet, causae Relatorem, Dubio: *An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, tuto procedi possit ad solemnem venerabilis Servi Dei Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmino Beatificationem?* quotquot aderant, tum Reverendissimi Cardinales tum Patres Consultores, uno velut ore, *tuto procedi posse* responderunt. De hac vero unanimi suffragatione quamvis valde gratulatus fuisset Sanctissimus Dominus noster, ex eâque non modicum Se cepisse gaudium significasset, noluit tamen tantae dignitatis tantaeque utilitatis Causam supremo Suo absolvere iudicio, sed istud, iuxta veterem sapienterque inductum morem, Sibi prorogandum duxit, ut interea precationi suppeteret spatium ad impetrandam Sancti Spiritus illustrationem. Quumque mentem Suam manifestam facere statuisset, hodiernam designavit diem, quae solemnibus, ob sacrosanctam Crucem Hierosolymis inventam, est consecrata; ideoque propitiationis Hostia ferventer oblata, ad Vaticanas Aedes arcessiri mandavit Reverendissimos Cardinales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et

Rufinae, sacrae rituum Congregationi Praefectum, et Aidanum Gasquet, causae Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, meque insimul infrascripto Secretario, eisque adstantibus, solemniter pronuntiavit: *Tuto procedi posse ad solemnem venerabilis Servi Dei Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmino Beatificationem.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, in acta sacrae rituum Congregationis referri, litterasque apostolicas in forma Brevis de Beatificationis solemnibus, ubi primum licuerit, in Basilica Vaticana celebrandis, expediri iussit, quinto nonas maii anno MDCCCCXXIII.

✠ A. CARD. VICO. Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

II

SUBLACEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI FR. MARIANI AB ARCE CASALI, LAICI PROFESSI ORDINIS FRATRUM MINORUM, IN RECESSU PROPE CIVITELLAM.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus, Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum; nec non de cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur?

Quae in medium proferuntur probationes, quibusque regitur et sustentatur haec simplex quidem atque humilis, non ideo tamen nobilis minus atque praeclara venerabilis Fratris Mariani super virtutibus Causa, expendere qui aggreditur easque certas et exploratas facere sibi studet, hic profecto parum sane opposita se commoveri sinit difficultate, quae praeteritionem respicit cuiusdam peculiaris iuridicaeque inquisitionis circa primam vitae Servi Dei partem, triginta et septem annorum spatio conclusam, quorum viginti quatuor in patrio oppido, reliquos vero inter Fratres Franciscales provinciae Aprutinae ille transegerat. Quamvis enim ab ipsius venerabilis Fratris Mariani obitu quinquennio nondum expleto, anno videlicet millesimo octingentesimo septuagesimo primo, cum in ecclesiastica Sublacensi curia admota est manus iudiciali ritu colligendis

probationibus, istarum amplitudini scitius aptiusque prospexissent actores, si iis etiam in locis, ubi prior vitae Servi Dei sese explicuerat periodus, curavissent iuste ac legitime interrogari testes, ex eiusmodi tamen omissione impedimentum nullum exsurgit, quo Causam necessario praesidio fuisse orbatam aestimare quis posset.

Et revera, ut potestas detur rectum exercendi iudicium super virtutibus alicuius Servi Dei, huius lustranda procul dubio erit totius vitae series singulaeque studiose pervestigandae erunt actiones. Verumtamen, si quando de Servis Dei agitur, in ultima senectute defunctis, quibus Frater Marianus est accensendus, utpote qui fere nonagenarius hanc mortalem posuit vitam, tunc, sicut valde proclive est intelligere, usu venire nequit, ut de prima etiam eorumdem Dei Servorum aetate edoctiores suppetant iique oculati testes; ad hoc quippe plus quam centenarii esse illi deberent. Unde, rei quadam necessitate, aequus iustusque isto nuper descripto casu cogitur iudex, quoad subsequentem eumdemque satis diuturnum vitae cursum, iuridicis uti fruique probationibus ipsasque aptas exquirere planeque idoneas ad eas praecipue adstruendas illustrandasque virtutes, quae pro status cuiuslibet Famuli aut Famulae Dei conditione veluti propriae esse censentur. Quapropter propositam hanc, eamque in sacri huius fori disciplina receptissimam normam, Causae lucro, prout facili ratione providendum erat, statim apponere connisus fuit Patronus; eaque proinde innixus, postquam sub aspectum ponere ille sategit quae de priore vitae Servi Dei stadio non multa, magni tamen pretii, auriti aliquot enarrarunt testes, uno et altero accedente quoque non modicae auctoritatis documento, animum suum suasque vires omnes ad illud convertit, in quo totius situm est Causae caput.

Equidem, quae pro heroicis agnoscendis et diiudicandis virtutibus necessario requiruntur elementa, eadem cuncta vel ex uno copiose haurire licet humili ianitoris officio, quod, per annos supra quadraginta, in sacro Civitelliano recessu Frater Marianus obivit, modoque obivit, ut cunctis merito admirationi fuerit, quemadmodum in ordinariis et apostolicis tabulis amplissime testati sunt ii praesertim, quibus rem suis oculis inspiciendi non tempus, tot annorum spatio, defuerat neque occasio. Haec autem quo breviore innuuntur verborum conceptione, eo generosiorem, si penitius perpendantur, quam quasi absconditam in seipsis complectuntur, produnt manifestamque faciunt virtutem. Etenim si quis sibi ante oculos Fratrem Marianum constituit, ostiarii exercentem munus, id facere ille nequit, quin secum ipse reputet seduloque recogitet, eumdem Fratrem Marianum in coenobii ianua, in illo scilicet inter exteriorem mundum et claustri recessum confinio, a Dei providentia fuisse collocatum.

Eapropter, ut sibi concredito Frater Marianus tam naviter sancteque perfungeretur officio, sicut ex actis et probatis illum, per quadraginta et amplius annos, ad obitum usque, perfunctum reapse fuisse constat, non communes, neque vulgares, sed ad heroicum evectae gradum, christianae eidem excolendae fuerunt virtutes, easque inter inexhausta cum omnibus, potissimum vero cum rudi agrestique pauperum turba illuc singulos per dies confluente, adhibenda fuit caritas, eaque mirum in modum coniungenda cum interioris perfectionis iugi, constanti incensoque, quo ille capiebatur et in dies proficiebat, studio. Quocirca ita se gerens, mirifice docuit Frater Marianus, quomodo dimissa etiam et vexata multisque exterius agendis distenta vitae ratio egregie valeat ad excelsae virtutis adeptionem, si, Dei voluntate sibi unice proposita, suae quisque conditionis munia perfecte servaverit.

Quibus itaque praeeuntibus et tamquam facem commonstrantibus, ea, qua opus erat, clarior emersit de heroicitate virtutum demonstratio, simulque quanta Causae huius dignitas esset atque praestantia, enotuit, maxime agnoscenda iustoque pretio aestimanda a religiosarum familiarum Moderatoribus, a Seminariorum Rectoribus, a collegiorum aliorumque id genus institutorum Praesidibus, quippe qui eo maiora bona sibi universoque hominum convictui polliceri poterunt, quo magis propriae domus ianitores a Fratre Mariano sumpturi erunt ad imitandum. Ita cunctis plenam in lucem prodeuntibus praeclaris, nec exiguae frugis huiusce Causae meritis, facile explicatur, cur propositae super virtutibus quaestionis plana et expedita inde ab initio iuridica processerit cognitio, quae suum sortita est exitum in Congregatione generali, quae, post binas praevias, antepraeparatoriam nempe et praeparatoriam Congregationes, die vigesima quarta superioris mensis aprilis, coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI coacta fuit. In qua a Reverendissimo Cardinali Ianuario Granito Pignatelli di Belmonte, causae Relatore, sequens ad discutiendum propositum est Debium: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum; nec non de cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis venerabilis Servi Dei Fratris Mariani ab Arce Casali, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur?* Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores proprias exposuerunt sententias, quas laeto intentoque animo Sanctissimus Dominus noster est prosequutus; sed, ceu de more, supremum iudicium Suum protrahendum duxit, ut in re tanti ponderis Divini Spiritus auxilium effusis precibus postularetur. Hodierno vero die, qui solemnia, quod Crux sacrosancta Hierosolymis est inventa, annuus memorat, post oblatum omnipotenti Deo Sacrificium, ad Vaticanas Aedes arcessiri iussit Reverendissimos Cardi-

nales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae rituum Congregationi Praefectum, et Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte, causae Relatorem, una cum R. P. Angelo Mariani, Fidei Promotore generali, meque insimul infrascripto Secretario, eisque adstantibus, solemniter edixit: *Constare de virtutibus theologalibus, Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum; nec non de cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis venerabilis Servi Dei Fratris Mariani ab Arce Casali, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur.*

Hoc Decretum in vulgus edi, et in acta sacrae rituum Congregationis inseri mandavit quinto nonas maii anno MDCCCCXXIII.

✠ A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

In praecedenti fasciculo, pag. 238, lin. 8, pro eo quod est *Societatis Iesu*, legatur: *Societatis Sanctissimi Sacramenti.*

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

INDULGENTIA DITATUR PRECULA QUAEDAM AD RUSSIAE SALUTEM IMPETRANDAM.

Cum infrascriptus Adsessor Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali supplicem libellum Ssmo Domino Nostro Pio Divina Providentia Pio XI porrexerit, ut indulgentiam impetraret tercentum dierum *toties quoties*, defunctis quoque applicabilem, ab omnibus lucrandam qui devote recitaverint preculam *Salvator mundi, salva Russiam*, Спаситель міра, спаси Россію, quae iam in usu est apud Russos emigratos tum catholicos tum dissidentes, ad obtinendam nempe salutem Russiae, Sanctissimus, in Audientia diei 24 maii 1922, annuere dignatus est « pro gratia ut in « precibus ».

Datum Romae, ex aedibus huius S. Congregationis, die 24 maii 1923.

L. ✠ S. Isaias Papadopulos, *Adsessor.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

DIOCESIS *X*

DAMNORUM

QUAESTIO INCIDENTALIS SUPER COMPETENTIA S. ROM. ROTAE

Pio PP. XI feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno secundo, die 30 aprilis 1923, RR. PP. DD. Franciscus Parrillo Ponens, *Franciscus Solieri et Ioseph Florczak, Auditores de Turno, in causa* Dioecesis X. Damnorum, *inter R. D.* N. N., *Canonicum Cathedralis X, actorem, repraesentatum per legitimum procuratorem Angelum d'Alessandri, advocatum, et R. P. D.* N. N., *Episcopum dioecesis X, conventum, repraesentatum per legitimum procuratorem Henricum Benvignati, advocatum, interveniente et disceptante in causa Promotore Iustitiae N. S. Tribunalis, sequentem tulerunt interlocutoriam sententiam.*

Sac. *N. N.* canonicus Cathedralis X, a suo Ordinario suspensionis poena ad biduum fuit mulctatus, die 16 augusti 1921, quia illegitime a choro abfuerat in hesterna festivitate B. M. V. in caelum Assumptae; et cum suspensionis decretum, praeter habitualis absentiae motivum, memoraret etiam « fatti gravi di cui più volte ho dovuto ammonirla », idem sacerdos, in recursu penes S. C. Concilii interposito, institit « che la S. C. dichiari e « riconosca nulla la pena della sospensione, e che a tutela del suo onore, mai « offuscatosi, venga obbligato Mons. F. a specificare e a provare i fatti gravi, « che al sottoscritto ha osato attribuire ». Assumptis de more informationibus, S. C. die 9 novembris 1921 recursum reiecit, eidem rescribendo *reponatur:* at, instante adhuc sac. *N. N.*, potissime ut obstringeretur Ordinarius « a specificare *i fatti gravi di cui più volte ha dovuto ammonirlo* », ratus « che nulla mai nel passato ed al presente può a lui rimproverarsi, « e che mai, assolutamente mai, è stato per qualunque circostanza ammo-

« nito », S. C. iterum re ad examen vocata, in Congressu diei 9 martii 1922 rescripsit: « lectum ad recursum, et recurrens moneatur, ut in posterum « caveat ne sua vivendi ratione Ordinarii obiurgationes mereatur ». Quae responsio denuo fuit firmata in Congressu diei 6 aprilis eiusdem anni.

Cum recurrens viderit viam sibi ulterius non patere ad satisfactionem habendam penes S. C. Concilii, – et aliunde incassum institerat, successivis libellis, ea saltem lege sibi communicari gravia facta et adsertas monitiones, ut « se non riuscirà a dimostrare l'inconsistenza delle accuse, si di- « chiara pronto a subire qualunque pena », – putavit actionem iudicialem adversus Episcopum institui posse in prima instantia penes Tribunal S. R. Rotae, in vim can. 1557, § 2, n. l, et can. 1599, § 2. Exinde, libello exhibito die 28 iulii superioris anni, querelam instituit « di calunnie e di danni « contro il suo Ordinario, Mons. F., affinchè, provate le calunnie contro di « lui lanciate dal suo Vescovo, possa ottenere, giusta il can. 2210, § 1, n. 2, « quella giusta riparazione, che il suo onore vilipeso e la sua dignità sacer- « dotale reclamano ». Quam querelam exactius delineavit successivo libello 2 martii c. a.: « Il can. *N. N.* è stato non solo presso la S. C. del Concilio, « ma anche presso la pubblica opinione accusato dal suo Ordinario di fatti « gravi: sulla pubblicità di tali accuse si sono esibite varie dichiarazioni ... « Quindi, poichè questi fatti gravi e le ammonizioni che ne sarebbero se- « guite non si sono mai verificate, non esistono, è evidente che il Vescovo « ha commesso un reato di calunnia anche quando ha riferito tali fatti alla « S. C. del Concilio ed ha provocato un'ammonizione al ricorrente ».

Assumptis informationibus penes S. C. Concilii, ac obtentis recursibus a sac. *N. N.* in ea exhibitis, D. Ponens, antequam ad ulteriora procederet, actoris libellos comunicari mandavit R. P. D. Episcopo X.; et cum hic incompetentiam Nostri Tribunalis exceperit, contendens agi in themate de quaestione non summo iure, sed disciplinari tramite agenda, exclusive reservata S. C. Concilii, « la quale ha dato pienamente ragione al Vescovo », idem Ponens mandavit quaestionem incidentalem desuper proponi *per memoriale* in turno RR. PP. DD. Auditorum hac mane habendo.

Lectis itaque et attente consideratis allegationibus a partium procuratoribus exhibitis, necnon animadversionibus Promotoris Iustitiae h. s. Tribunalis, haec infrascripti Auditores perpenderunt *in iure:*

1° Indubium est, ex allatis cann., Episcopos residentiales *in contentiosis* iudicari in prima instantia a Tribunalibus Sedis Apostolicae et proprie a Tribunali S. R. Rotae, salvis controversiis in can. 1572, § 2. recensitis, de quibus nulla quaestio in themate. Licet vero *contentiosum* dicatur iudicium, ad mentem can. 1552, § 2, n. 1., cuius *obiectum* sint « personarum physi- « carum vel moralium *iura* persequenda aut vindicanda, vel earundem per-

« sonarum *facta iuridica* declaranda », hoc tamen insinuatum est, ut iudicium *contentiosum* a *criminali* discernatur eique opponatur, cuius obiectum Codex immediate subdit in n. 2. eiusdem can. Verum, si exinde regula desumi potest ad diiudicandum an aliqua controversia, ad S. Rotam delata, contineatur in terminis contentiosi iudicii, relate ad Episcopos residentiales, an potius ingrediatur illam provinciam Tribunali Nostro subductam, quae causas criminales Episcoporum respicit uni Romano Pontifici reservata, incongrue argueretur S. Rotam competentem esse in controversiis Episcoporum videndis, ex unico criterio cit. can., quod nempe *obiective* contentiosae sint, sensu modo explicato. Idque fortius, quia dictio illa « iudicium « contentiosum », qua Codex hodie utitur, stat loco alterius, usu forensi ante Codicem receptae, nempe « iudicium *civile* », sub cuius nomine controversiae intelligebantur, quae *criminales* non erant: at cum Codex, praeter terminologiam, nihil immutaverit hac in re de veteri disciplina, dicendum, quod causae contentiosae, relate ad competentiam nostri Tribunalis in subiecta materia, eae sunt, quae, nedum pro *obiecto* habeant iura vel facta iuridica, de quibus citatus canon, sed talis indolis sint, *ut exigant vel pati possint processum et telam iudiciariam*. Ad rem Constit. *Sapienti consilio* Pii PP. X. diei 29 iulii 1908: « iis inhaerentes, quae a Decessoribus Nostris sancita « fuerunt, non solum iubemus per SS. Congregationes non amplius recipi « nec cognosci causas *contentiosas*, tam civiles quam criminales, *ordinem « iudiciarium cum processu et probationibus requirentes*, sed praeterea decer- « nimus, ut causae omnes contentiosae, non maiores, in posterum devol- « vantur ad S. R. Rotae tribunal ».

2° Pro intellectu cit. can. 1557, § 2, n. 1., praescribentis Episcopos residentiales in *contentiosis* iudicari a S. R. Rota, prae oculis habendum est, Episcopos, rem nostram quod attinet, considerari posse vel qua iudices in sua dioecesi, vel qua administratores aut moderatores politiae ecclesiasticae, vel qua subiecta iurium et obligationum, vel qua privatae personae. Ea quae tanquam iudices Episcopi gerunt, tribunalibus ordine hierarchico superioribus plene subiiciuntur; sed ea quae agunt tanquam administratores aut disciplinae moderatores, nullos habent iudices, nisi SS. Congregationes; unde a decretis administrativo vel disciplinari tramite latis, « non datur appellatio seu recursus ad Rotam, sed de huiusmodi recursibus « *exclusive* cognoscunt SS. Congregationes » (can. 1601). Ad rem Card. De Luca: « SS. Congregationes erectae fuerunt non quidem ut in forma iudicum « et tribunalium cum processu ac tela iudiciali causas contentiosas deci- « dant ... sed ut in forma summaria et extraiudiciali decidant vel compo- « nant controversias orientes inter Episcopos et subditos, ad occurrendum « ne inter istos audiantur lites et controversiae cum scandalo saecularium »

(*De iudiciis*, Disc. 47, n. 7). Vicissim, tanquam subiecta iurium vel obligationum et tanquam privatae personae, Episcopi iudicantur in prima instantia in contentiosis, *requirentibus ordinem iudiciarium cum processu et probationibus*, a S. Rota, salvis controversiis de quibus in can. 1572, § 2., et exceptis causis infra in n. 4. referendis.

3° Posito hoc discrimine, iam liquido patet, Rotam incompetentem esse in iis causis videndis, quae licet Episcopum residentialem tanquam partem in iudicio habeant, originem tamen et actionem in radice repetunt a decreto administrativo vel disciplinari ipsius Episcopi. Cum enim Rota, iuxta allatum can. 1601, absolute incompetens sit in hisce causis videndis, utpote SS. Congregationibus *exclusive* spectantibus, consequitur eas nec in merito cognoscere, nec obiter vel incidenter in suis motivis attingere posse, prout in can. 17 *Legis Propriae S. R. R.* diserte praescribitur: « defe- « ctus auctoritatis S. Rotae in his causis videndis, est absolutus, ita ut *ne* « *obiter quidem* de his cognoscere queat, et si tamen sententiam proferat, « haec ipso iure sit nulla ».

4° Incompetentia S. Rotae in iudicandis in prima instantia Episcopis residentialibus in *contentiosis*, non solum haberi potest ratione *materiae*, quatenus haec processum in forma iuris et telam iudiciariam vel non exigat vel non patiatur, sed etiam ratione *praeventionis*, quatenus nempe aliqua causa, quae aeque agi potest iudiciali ac administrativo tramite, ex partium consensu vel altera saltem non dissentiente, delata fuit SS. Congregationibus, administrativo vel disciplinari ordine terminanda. Hoc aperte cavetur in Normis peculiaribus cap. III, n. 10 (*Ordo servandus in Officiis Romanae Curiae*): « Quaestione semel instituta penes Congrega- « tionem aliquam administrationis ac disciplinae tramite, et a partibus « admisso aut saltem non recusato hoc agendi modo, his iam non licet « eadem de causa actionem stricte iudicialem instituere. Eoque minus, « deliberata re atque ad sententiam deducta, fas erit hoc agere ». Has normas autem et hodie vigere post novi Codicis promulgationem, can. 243, § 1, docet: « In singulis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis servanda « est disciplina *et tractanda sunt negotia, secundum normas tum generales « tum particulares, quas ipsis Romanus Pontifex praestituerit* ».

Itidem PP. Auditores haec considerarunt *in facto:*

a) Sac. *N. N.* actionem civilem ad damna adversus suum Episcopum, exhibitis libellis, instituit, duplici capite innixam, nempe informationibus, quas ille dedisset S. Congregationi Concilii, quae monitionis causa ipsi exstiterunt, et insimulatione in suspensionis decreto contenta (circa facta gravia), quae hodie sic in vulgus patuit, ut fama in populo sit, prout ex datis attestationibus, ipsum *N. N.* ab Episcopo suspensum fuisse ex gra-

vibus motivis. At, quoad primum punctum, apertissima est incompetentia S. Rotae, cum de re agatur, quae ipsum Episcopi decretum directe concernit, cuius iudicium exclusive reservatum est S. Congregationi Concilii. Aliunde, cum nemo sanus admittet, posse recurrentem vel, eius loco, Tribunal, S. Congregationem obstringere ad receptas informationes transmittendas, ut iudicialiter excuterentur, iam liquido patet, vel obiectum seu contentionis materiam deficere ad ipsam actionem instituendam ac recipiendam.

b) Nec circumscripta actione, eaque reiecta in hac parte, ipsa institui potest, et hinc recipi, ex facto, quod insimulatio in decreto suspensionis contenta, publici iuris hodie facta fuerit, ex quo damnum actoris famae obvenerit, prout ipsemet in altero libello contendit: « Il can. *N. N.* è stato « non solo presso la S. Congregazione del Concilio, ma anche presso la pub- « blica opinione, accusato dal suo Ordinario di fatti gravi: sulla pubbli- « cità di tali accuse si sono esibite varie dichiarazioni, tra le quali è di « fondamentale importanza quella del parroco B., il quale afferma di « avere interposto i suoi buoni uffici per evitare spiacevoli conseguenze, « e che il Vescovo avrebbe acconsentito a ritirare ogni accusa, se non ne « avesse scapitato la sua dignità episcopale ». Iamvero, attestationes, quas actor commemorat, nil aliud innuunt, quam quod in vulgus sparsum fuit, ipsum recurrentem ab Episcopo suspensum fuisse ob gravia motiva; at quonam auctore id vulgatum, plane reticetur. Et licet in verba parochi B. iurari vellet, ac consequenter extraiudicialis Episcopi confessio, iuxta actorem, in iis inveniri valeret, haud tamen inde actio contentiosa in iudicio ad damnorum refectionem institui posset, a S. Rota videnda. Evicto enim in hypothesi quod Episcopus *generice* insimulasset, etiam extra suspensionis decretum, sac. *N. N.* « di gravi fatti, pei quali « aveva dovuto più volte ammonirlo », haud valeret ipse ostendere, se ab Ordinario calumniis affectum fuisse (prout facere posse contendit), nisi facta *in specie* cum secutis monitionibus ipsi obiicerentur, quod obligationem in Episcopo secumferret, eadem revelandi in iudicio contentioso. At nulla lege obstringuntur Episcopi, quinimo prohibentur, secreta officii pandere, extraiudiciales informatores prodere, documenta sua natura occulta in iudicio exhibere (can. 1823, § 1; 2309, § 5), eo magis cum haec omnia ansam actori praebere deberent ad delictum in his introspiciendum, Episcopo imputabile, quod nemo in iudicio fateri, eoque minus ostendere tenetur (can. 1743, § 1). Huius indolis quaestiones, igitur, quae Episcopi officium, ceu disciplinae moderatoris, habent necessario coniunctum, non summo iure, sed administrativo vel disciplinari tramite agendae sunt; et in his videndis, non Auditores Rotae competentes sunt, qui, iuxta

verba Card. De Luca: « intra iustitiae commutativae atque legum can- « cellos habent arbitrium restrictum », sed exclusive SS. Congregationes, quae possunt, « utpote vicarias Papae partes explicantes, quandoque pro « negotiorum qualitate, rigorosos iuris cancellos egredi, atque cum illis « legibus vel regulis, quae prudentiales dicuntur, procedere, ut negotiis « finis vel temperamentum magis opportunum concedatur » (*Relat. Rom. Cur.*, Disc. 32, n. 2).

c) Quaestio, quam hodie actor in Rota instituere intendit, alia non est, quoad suum obiectum, ab ea, e qua penes S. Congregationem Concilii ipse fuit reiectus: Episcopum nempe inducere ad *facta gravia et monitiones* ipsi pandenda, ut inde possit eorum falsitatem vel inexistentiam ostendere, et consequenter purgari sive coram S. Congregatione, quam penes coeteros de insimulatione edoctos. Novissimus libellus a sac. *N. N.* S. Congregationi Concilii datus, die 21 iunii superioris anni, id clare portendit: « se anche questo ricorso venisse respinto, o non venisse comunque « preso in considerazione, dichiara formalmente di adire le vie legali, pre- « sentando contro il suo Ordinario, presso i tribunali competenti, querela « per calunnia », prout revera fecit libello successivi mensis iulii. Cum igitur, in themate, de quaestionis obiecto iam viderit S. Congregatio Concilii, « partibus iam non licet, eadem de causa, actionem stricte iudi- « cialem instituere », ut in Normis supra citatis praescribitur; et hinc etiam per hoc S. Rota incompetens facta est ad propositam actionem recipiendam ac videndam.

d) Tandem, cum in tit. I, n. 3, cit. *Normarum* praescribatur, quod « in expostulationibus ad S. Sedem, si libellus ad S. Rotam delatus est, « Decanus cum duobus Auditoribus primis, de quaestionis natura vide- « bunt, utrum res administrationis ac disciplinae tramite tractanda sit, an « summo iure agendum. Horum primum si accidat, iudicium quaestionis « *reservatur S. Congregationi cui competit* », infrascripti Auditores in declaranda propria incompetentia hac in causa, potissime ob eius indolem, disciplinari tramite agenda, mandant eiusdem acta ad S. Congregationem Concilii remitti, cui reservatur, ut quid desuper agendum sit, pro sua prudentia videat. Licet vero huiusmodi officium, re integra, Decano cum duobus Auditoribus primis demandetur, constituto tamen Turno, ac exceptione contra eius competentiam proposita, eidem consequenter tale munus creditum manet (can. 1610, § 1; can. 1611).

Quibus omnibus igitur in iure ac in facto consideratis, infrascripti Auditores decernunt, S. Rotam incompetentem esse ad causam, de qua supra, videndam, et ad tramitem n. 3, *Ordinis servandi in Congregatio-*

nibus, etc., partis alterae, acta quaestionis ad S. Congregationem Concilii esse remittenda. Quod vero spectat iudiciales expensas, iidem Patres decernunt, eas inter partes compensatas haberi, excepta taxa huius interlocutoriae sententiae ab uno sac. *N. N.* pendenda.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 30 aprilis 1923.

Franciscus Parrillo, *Ponens.*
Franciscus Solieri.
Iosephus Florczak.

Ex Cancellaria, 7 maii 1923.

T. Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Mercoledì 9 maggio 1923, la Santità di Nostro Signore riceveva in Udienza solenne le LL. MM. il Re GIORGIO V di Inghilterra e la Sua augusta consorte la Regina MARIA.

S. CONGREGAZIONE DI PROPAGANDA FIDE

L'E.mo e R.mo sig. Card. Guglielmo Van Rossum, Prefetto della S. Congregazione di Propaganda Fide, in esecuzione degli augusti ordini del Santo Padre, esposti nella Sua lettera del 24 aprile, ha così costituito il *Comitato direttivo della Mostra Missionaria Vaticana* che avrà luogo nell'Anno Santo 1925:

Presidente: l'Ill.mo e R.mo Monsig. Francesco Marchetti Selvaggiani, Arcivescovo tit. di Seleucia, Segretario della S. Congregazione di Propaganda;

Vice-presidente: l'Ill.mo e R.mo Monsig. Cesare Pecorari, Sotto-segretario della medesima S. Congregazione;

Segretario: l'Ill.mo e R.mo Monsig. Giuseppe Nogara, Segretario generale per la Pontificia Opera della Propagazione della Fede;

Membri effettivi: l'Ill.mo e R.mo Monsig. Caccia Dominioni, Maestro di Camera di Sua Santità; l'Ill.mo e R.mo Monsig. Carlo Respighi, Prefetto delle Cerimonie Pontificie; il R.mo Monsig. Pietro Ercole, Direttore per l'Italia dell'Opera della S. Infanzia, e l'Ill.mo sig. conm. Federico Mannucci, Sotto-Foriere dei SS. PP. AA.

La Sede del Comitato è nel Palazzo della S. Congregazione di Propaganda, in Piazza di Spagna.

S. CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì 8 maggio 1923, presso l'E.mo sig. Card. Gaetano Bisleti, Ponente della Causa di Canonizzazione della Beata Maddalena Sofia Barat, Fondatrice della Società delle Suore del Sacro Cuore di Gesù, si è tenuta la Congregazione *Antipreparatoria* per discutere il dubbio sopra due miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione della medesima Beata, i quali miracoli vengono proposti per la di lei Canonizzazione.

Martedì 22 maggio 1923, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Eminentissimi e Reverendissimi Signori Cardinali e con il voto dei Reverendissimi Prelati e dei Consultori teologi, componenti la Sacra Congregazione dei Riti, si è tenuta la Congregazione *Preparatoria*, per discutere il dubbio: se consti del martirio e della Causa del martirio e dei segni o prodigî dei Venerabili Servi di Dio Lorenzo Imbert, Vescovo di Capsa, e Compagni, uccisi, come si asserisce, in odio alla Fede.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

17 febbraio 1923. Monsig. Domenico Baruzzi, *Prelato referendario della Segnatura Apostolica.*

3 aprile » L'E.mo sig. Card. Tommaso Pio Boggiani, *Protettore della Congregazione delle Figlie Minime di Maria Immacolata di León (Messico).*

3 maggio » L'E.mo sig. Card. Ludovico Billot, *Protettore delle Suore di S. Giuseppe d'Annecy.*

10 » » L'E.mo sig. Card. Giovanni Bonzano, *Protettore delle Suore Francescane dell'Immacolata Concezione di Clinton (U. S. A.).*

» » « Il medesimo E.mo sig. Cardinale *Protettore delle Suore della Cristiana Carità, figlie dell'Immacolata Concezione, di Roma.*

SS. CONGREGAZIONI ASSEGNATE AI NOVELLI PORPORATI

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre si è degnato di assegnare ai nuovi E.mi e R.mi signori Cardinali, che nel Concistoro pubblico del 25 hanno ricevuto il cappello cardinalizío, le seguenti Sacre Congregazioni:

All'E.mo sig. Cardinale Achille Locatelli, le Sacre Congregazioni: dei *Sacramenti*, dei *Religiosi* e degli *Affari Ecclesiastici Straordinari.*

All'E.mo sig. Cardinale Enrico Reig y Casanova, le Sacre Congregazioni: dei *Sacramenti*, del *Concilio* e della *Rev. Fabbrica di S. Pietro.*

All'E.mo sig. Cardinale Giovanni Battista Nasalli-Rocca, le Sacre Congregazioni: del *Ceremoniale*, dei *Seminari e delle Università degli Studi* e della *Rev. Fabbrica di S. Pietro.*

All'E.mo sig. Cardinale Luigi Sincero, le Sacre Congregazioni: dei *Sacramenti*, del *Concilio* e dei *Seminari e delle Università degli Studi.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Assistente al Soglio Pontificio:

11 maggio 1923. Monsig. Pasquale Berardi, Arcivescovo di Gaeta.

Protonotarii Apostolici ad instar participantium:

20 aprile 1923. Monsig. Giovanni Mamos, dell'archidiocesi di Atene.
26 » » Monsig. Antonio Uberto Hensen, della diocesi di Haarlem.
3 maggio » Monsig. Enrico Saudeur, della diocesi di Evreux.
8 » » Monsig. Ambrogio Galbusera, della diocesi di Novara.

Prelati Domestici di S. S.:

26 febbraio 1923. Monsig. Martino S. Brennan, dell'archidiocesi di S. Luig (S. U. A.).
» » » Monsig. Federico G. Holweck, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Francesco S. Wilmes, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Timoteo Dempsey, della medesima archidiocesi.
3 aprile » Monsig. Stanislao Figielski, della diocesi di Plock.
» » » Monsig. Leone Gościcki, della medesima diocesi.
16 » » Monsig. Giovanni Tornay, della diocesi di Rosnavia.
25 » » Monsig. Lorenzo Pavanelli, della diocesi di Brescia.
» » » Monsig. Luigi Vigna, della diocesi di Cremona.
» » » Monsig. Ferdinando Manzini, della diocesi di Modena.
« » » Monsig. Filippo Campetti, della diocesi di Treia.
26 » » Monsig. Pietro Tramontana, dell'archidiocesi di Reggio.
3 maggio » Monsig. Carlo Oberdoerfer, dell'archidiocesi di Colonia.
7 » » Monsig. Eugenio Beaupin, della diocesi di Evreux.
11 » » Monsig. Francesco Steffens, della dioc. di Losanna e Ginevra.
14 » » Monsig. Lodovico Skowronek, della Slesia Polacca.
16 » » Monsig. Umberto Bertini (Roma).

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire le seguenti onorificenze:

Il Cavalierato dell'Ordine Piano:

5 maggio 1923. Al sig. Ugo Ludovico Carlo De Sade, dell'archid. di Parigi.

La Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

16 maggio 1923. Al sig. comm. Giuseppe Benaglia (Roma).

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

28 aprile 1923. Al sig. prof. Virginio Prinzivalli (Roma).
1 maggio » Al sig. Francesco Buum, della diocesi di Breslavia.
» » » Al sig. Ernesto Behagel, della diocesi di Lilla.
» » » Al sig. Giovanni Ludovico Hulot, dell'archidiocesi di Parigi.
» » » Al sig. Arturo Amato Bonnet, della medesima archidiocesi.
4 » » Al sig. Luigi Gille (Belgio).
9 » » Al sig. Augusto Calame, della diocesi di Chiavari.

Il Cavalierato di San Gregorio Magno, classe civile:

25 aprile 1923. Al sig. Emilio Gaupin, della diocesi di Bruges.
28 » » Al sig. Giuseppe Balossini, della diocesi di Novara.
1 maggio » Al sig. Alberto Modler, dell'archidiocesi di Breslavia.
» » » Al sig. Antonio Blümel, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Bernardo Dijckhoff, della diocesi di Haarlem.
» » » Al sig. Antonio Dutrey-Lassus, dell'archidiocesi di Parigi.
4 » » Al sig. Alberto Zwanepoel (Belgio).
7 » » Al sig. Giovanni Telesforo Zaluski, della diocesi di Plock.
14 » » Al sig. Secondo Piovesan, della diocesi di Vicenza.
» » » Al sig. Paolo Bertolini, della medesima diocesi.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa:

14 marzo 1923. Al sig. Luigi Montanari, dell'archidiocesi di Fermo.
25 aprile » Al sig. Giovanni Battista Castaldis, del Patriarcato di Venezia.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. R.ma Monsig. Maggiordomo, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti soprannumerari di S. S.:

14 febbraio 1922. Monsig. Luigi Campa (Roma).
1 maggio 1923. Monsig. Pietro Jankowski, della diocesi di Vladislavia.
» » » Monsig. Boleslao Korwin-Szymanowski, della medes. diocesi.
» » » Monsig. Gaspare Brigidi, della diocesi di Cesena.
6 » » Monsig. Ferdinando Bernardi, della diocesi di Iglesias.

6 maggio 1923. Monsig. Vincenzo Skarpa, della diocesi di Sebenico.
8 » » Monsig. Vincenzo Galleni, della diocesi di Massa.
9 » » Monsig. Giuseppe Lubelski, della diocesi di Tarnovia.
» » » Monsig. Giovanni Pilch, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Francesco Pawlikowski, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Alessandro Siemienski, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Adolfo Albin, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Casimiro Lazarski, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Azeglio Tosi, della diocesi di Arezzo.
11 » » Monsig. Geysa Jalsovszky, dell'archidiocesi di Strigonia.
12 » » Monsig. Mariano Okolski, della diocesi di Plock.
» » » Monsig. Bonifacio Raess, della diocesi di San Gallo.
» » » Monsig. Giuseppe Llombart, dell'archidiocesi di Tarragona.
» » » Monsig. Vincenzo Marcianò, dell'archidiocesi di Reggio Calabria.
16 » » Monsig. Alfredo Marsano, dell'archidiocesi di Genova.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa soprannumerari di S. S.:

26 aprile 1923. Il sig. libero barone de Twickel, della diocesi di Münster.
3 maggio » Il sig. conte Vincenzo Giorgio Thurn-Valle Sassina, dell'archidiocesi di Praga.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

30 aprile 1923. Monsig. Giuseppe Messare, dell'Abbazia di Montecassino.
1 maggio » Monsig. Francesco Buchalski, della diocesi di Wladislavia.
» » » Monsig. Stanislao Kowalski, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Biguzzi, della diocesi di Cesena.
2 » » Monsig. Pietro D'Inca, della diocesi di Belluno.
5 » » Monsig. Carlo Ferrari, dell'Abbazia delle Tre Fontane.
7 » » Monsig. Ermanno Kamp, dell'archidiocesi di Colonia.
12 » » Monsig. Bartolomeo Cisternino, della diocesi di Monopoli.
14 » » Monsig. Antonio Scaramucci, della dioc. di Montalto (Marche).
» » » Monsig. Francesco Saverio Lapastina, dell'Abbazia della Santissima Trinità di Cava dei Tirreni.
» » » Monsig. Francesco Capasso, della medesima Abbazia.
» » » Monsig. Giuseppe Baccari, della medesima Abbazia.

Camerieri d'onore di Spada e Cappa soprannumerari di S. S.:

7 maggio 1923. Il sig. Lorenzo Valeri (Roma).
11 » » Il sig. Nicola de Esty, dell'archidiocesi di Strigonia.
» » » Il sig. Eustachio Korwin-Szymanowski, della diocesi di Vladislavia.

Cappellani d'onore extra Urbem *di S. S.*

1 maggio 1923. Monsig. Giovanni Galimberti, dell'archidiocesi di Milano.
9 » » Monsig. Ferdinando Perrino–Ruggiero, della diocesi di Cava e Sarno.
12 » » Monsig. Ludovico Zatryb, della diocesi di Plock.

NECROLOGIO

3 maggio 1923. Monsig. Giuseppe Claudio Excoffier, Vescovo tit. di Metropoli.

MONITUM. – *Propter auctas transmissionis seu vecturae expensas, pretium subnotationis huic Commentario Officiali,* Acta Apostolicae Sedis, *ab ineunte anno 1924 persolvendum erit ut sequitur:*

Intra fines Italiae . . . lib. ital. 18 —
Extra Italiam . . . . . frs. gall. 24 —

AVVISO. – *In conseguenza degli aumenti delle tariffe postali, il prezzo di abbonamento agli* Acta Apostolicae Sedis, *Bollettino Ufficiale della Santa Sede, a cominciare dal prossimo anno 1924, viene così modificato:*

Per l'Italia . . . . . L. it. 18 —
Per l'Estero . . . . . *Frs.* 24 —

AVIS. – *Les tarifs postaux étant augmentés, le prix d'abonnement aux* Acta Apostolicae Sedis, *Bulletin Officiel du Saint-Siège, à partir de l'année prochaine 1924, a dû être fixé comme il suit:*

Pour l'Italie . . . . . L. it. 18 —
Pour l'étranger . . . . . *Frs.* 24 —

NOTICE. – *Owing to the increase in postal rates, the subscription to the* Acta Apostolicae Sedis, *Official Bulletin of the Holy See, will be, from the beginning of next year 1924, as follows:*

For Italy . . . . . L. it. 18 —
Outside Italy . . . . . *Frs.* 24 —

ANZEIGE. – *Infolge der Erhebung des Posttarifes, ist der Preis für die* Acta Apostolicae Sedis *vom Beginn des Jahres 1924, wie folgt, festgesetzt:*

Für Italien . . . . . L. it. 18 —
Für das Ausland . . . franz. francs 24 —

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PAG.

I. *Decretum.* - Abbatia Sancti Petri de Muenster constituitur suffraganea Ecclesiae metropolitanae Reginatensis. - *18 novembris 1922* 288

II. Provisio Ecclesiae 289

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

Dubium de habitu novitiorum a transeunte ad aliam religionem gestando. - *14 maii 1923* 289

S. CONGREGATIO RITUUM

I. *Romana.* - Decretum super dubio de *tuto* in causa Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmino, Societatis Iesu. - *3 maii 1923* 290

II. *Sublacen.* - Decretum de virtutibus in causa Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Fr. Mariani ab Arce Casali, laici professi Ordinis Fratrum Minorum, in recessu prope Civitellam. - *3 maii 1923* 292

S. CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

PAG.

Indulgentia ditatur precula quaedam ad Russiae salutem impetrandam. - *24 maii 1923* 294

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Dioecesis X. - Damnorum. Quaestio incidentalis super competentia S. Rom. Rotae. - *30 aprilis 1923* 296

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza solenne 303

II. S. Congregazione di Propaganda Fide: *Nomine* 303

III. S. Congregazione dei Riti: *Congregazioni Antipreparatoria* e *Preparatoria* . . . 303

IV. Segreteria di Stato: *Nomine, onorificenze* 303

V. Maggiordomato di Sua Santità: *Nomine* . 303

VI. Necrologio 303